LVI
C
51.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
C
51
NAPOLI

FLORVS GALLICVS SIVE

Rerum à Veteribus Gallis bello gestarum Epitome.

Autho P. Berthault Presb. Cong. D. IESVS

PARISIIS
APVD IOANNEM LIBERT
via D. Ioannis Lateranen.
tertia editio
M.DC.XXXX
Cum Priuilegio Regis

Thibaust

ARMANDO
CARDINALI,
DE RICHELIEV
DVCI AC PARI
FRANCIÆ, &c.

PETRVS BERTHAVLT
Congregationis Oratorij D.
IESV Presbyter, pa[r]em
vbique felicitatem
adprecatur.

TVA nuper apud Castrum Thendorici visa perspectáque cum singularis in me benevolentiæ significatione humanitas (CARDINALIS EMINENTISSIME) *ac illa omnium ante mihi sermonibus accepta; nunc vsurpata oculis affabilitas; quasi quidam diuinitatis radius affulsisset, ita*

me affectum, & tam felicibus CASALLI *mei (quod à te benignè exceptum est) auspiciis erectum dimisit: vt quæcumque deinceps pergerem scribere, quæque tu rectè vt cœpisti facere pergeres, ea omnia Eminentiæ tuæ oferenda ac consecranda esse existimarem. Nam siue hominis dignitas ac præstantia, siue familiæ nobilitas & maiorum claritudo, siue præclara in Remp. merita, ac propensa denique in Presbyterorum Oratorij D.* IESV *societatem voluntas expendatur; vnus potissimum animo occurristi meo, cuius eximiæ virtutes cum domestico splendore coniunctæ, facta insignia, ac nota testataque nobis tua beneuolentia, iure sibi suo, illud quodcumque est deuotæ tibi Congregationis, & singularis in te obseruantiæ meæ monumentum appendi postularent. Nec diu (Cardinalis Eminentissime) hæsimus diu, quin* FLORVS GALLO-FRANCICVS *tuæ Eminentiæ deberetur, cum vt obsequij erga te nostri perpetuum extaret symbolum, tum si quod instaret aut inuidiæ, aut maleuolentiæ, etiam in hac tenui literaturæ fama fortunáque bellum,*

tuo tectus ac tutus præsidio, in publicum fidentiùs prosiliret. Quem si, vt facile præsumo, pateris nomini inscribi tuo; quid iam erit quod aut à malis pertimescat aut non speret à bonis, cuius frontem tantum sidus insidebit implebitque? quò non ille gentium securus peruadet tanto nixus patrocinio? quis non fauebit vltro, cùm nominis Richellæi quasi alicuius numinis splendorem intuebitur gemino huic opusculo impressum, & ipso libelli aditu radiorum instar coruscare? cuius præterea argumentum id habet quod omnibus hactenus acceptum ita fuit, vt magis magisque gratum esse queat, nemini opinor possit iure displicere. Nam cùm adeò secundis Musis superiori anno Christianissimi Regis Ludouici XIII. auspiciis exierit in hominum manus FLORVS FRANCICVS, *vt eum puriores literaturæ amatores, & qui hoc scribendi genere delectantur eruditi, tanto omnes affectu, tanto omnes (nisi mihi nimiùm ipse blandior) plausu exceperint; quodque omnium mihi gratissimum esse debet & maximum, calculo ipse tuo (vt & tuorum*

sermone, & vitæ tuæ, quod aiunt, vocis oraculo audiuisse possum gloriari) probaueris: quæ tandem debet mea esse in eo iterum euulgando fiducia, quæ omnium in eo excipiendo alacritas; qui primùm velut emissarius sorti datus ac periculo, nunc longè rerum pulcherrimarum supellectile ditior & ornatior, Gallorum etiam veterum gestis rebus auctior & locupletior, annorum serie distinctior, authorum insuper indigitatione (quæ maxima historiarum lux est) certior ac verior in lucem remittitur? Hunc verò cui darem & consecrarem, quàm cui se Christianissimus Rex, cum perspectis ante virtutibus, tum nuperâ rerum gestarum felicitate persuasus incitatúsque, in turbulentissimis patriæ rebus, penè dedit totum comnisitque? cuius ille opem ac præsidium imploraret FLORVS GALLO-FRANCICVS, *quàm cuius consiliis ac fidelissimâ operâ, Gallo-Francorum Respublica ita administratur, vt non firminis Herculeis olim aut Atlantaïs humeris cœlum hæserit, quàm tuis consiliis commissum & creditum, quodque longè augustius est, curæ im-*

positum graue imperij onus sustentetur. Ita est, (*Cardinalis Eminentissime*) Magna negotia magnis indigent adiutoribus; & grauissimi Principum labores queis orbem terræ capessunt, egent adminiculis. *Magna etiam illa tua laus quod his difficillimis temporibus, proximo à Principe rerum fastigio admotus, tantis potissimum hostibus aut lacessentibus vtro, aut* (QVIA NEMINI DATVM EST IMPVNE EXCELLERE) *inuidentibus & oppugnantibus, non desieris tuis consiliis, tua ope, tua vigilantia, Regi magna meditanti, Rheam, Rupellam, tot rebellium vrbes expugnanti, & imperij fines ampliãti fortiter adesse; vt iam ille vel solo nominis terrore ac virtutis, hostem profliget, arces expugnet munitissimas, suo Europam arbitrio moderetur; bella, pacem, fœdera, nutu temperet. Tanta certè vel his quatuor annis gessit, tamquam feliciter; vt nec maiores victorias reportare, nec firmius regnum stabilire suum, nec potentius aduersariorum opes comminuere, lacerare ac frangere potuerit. Talis profectò Agamemnonem per Syrtes & scopulos* Vell. l. 2. Tac 2. ann.

Nestor, Achillem Phœnix comitatus est; & (si voluissent fata) Pompeium Magnum Cato. Tales olim Scipionibus Lælij, Augusto Agrippa & Mecœnas & Statilius Taurus assederunt. Quorum cum insigni memoria famam ac nomen, historiæ librique, tot retrò sæculis ab inuidia, quæ optima quæque corrumpit; ab hominum obliuione, quæ fere præclarum nihil immortale esse patitur, vindicarunt. Neque vero putes, Cardinalis Eminentiss. *vlla aut hominum aut temporum iniuria extinctum iri ea, quæ pro Christianissimo Rege, pro ciuibus tuis, pro charissima patria, inuicto animo, cura ac labore hactenus gessisti, Viuit viuétque sæculorum omnium memoria clarissimum Richellæi nomen, quod maiorum tuorum gloria illustre, in sublimi quidem, sed digno tuis virtutibus fastigio Rex Christianissimus collocauit. Vigebit illa tui nominis fama memoriáque quádiu vigebunt literæ, florebit Francia, stabit orbis: nec vlla, mihi crede, tam surda erit aut ingrata posteritas, quæ tenebris ac obliuione ea donet damnétque, quæ tu in omnium gentium luce*

gessisti. *Quæ nunc ego* (Eminentissime Cardinalis) *fusiùs prædicarem, nisi aut actum ab aliis agere, aut onerare magis viderer modestiam tuam, quàm futuræ posteritati famam tui nominis ac virtutum tuarum commendare. Exigerent voluminum instar facta illa tua maxima & pulcherrima, nec tenui epistolio committenda ac stylo, quæ victuris ac duraturis ad omnem posteritatis memoriam monumẽtis incidenda sunt. Reliquum est vt indefesso ac infracto animo pergas, & quem apud optimum Principem gratiæ & authoritatis locum obtines,* Dexter negotiorum administrator, fidus, arcanorum particeps, mens consiliorum, voluntatis imperiique interpres, vigilantissimus omnium speculator, animo exsomnis *in publica tranquillitate expleas : Regem qua soles fidẽ; Patriam quo debes affectu; Religionem qua teneris pietate; omnes, quo tua & omnium interest studio* (Eminentissime Cardinalis) *prosequaris. Id bonorum omnium commune est votum desideriumque. Tu interim accipe eius gentis & patriæ cui te totum penitus*

consecrasti, historiam; accipe bella à Gallis & Francis, domi ac foris gesta, quæ tam feliciter Regiâ virtute, consilio tuo, auspiciisque tuis conclusa sunt: Florum, inquam, meum: quem si, quod spero, liberali vt omnia soles vultu ac benevolentia, quasi benigno sidere aspexeris & afflaueris, per te efflorescet: & (si annuis) vberioribus ramis diffusus, ac tui potissimum fauoris imbre irrigatus, tandiu crescet, donec in Liuium euaserit. Accipe non magnum quidem munus, quo tamen maius offerri à me non potuit; sed cui (si desunt cætera) vel ipso argumento pretium est: quodque nomini inscriptum tuo, erit (vt spero) immortale. VALE.

AD EVNDEM.

RICHELLÆE *sacri decus Senatus;*
FLORVM *do geminum, dedi* CASALLVM.
Si das Historicum esse vel Poëtam,
Et me fata velint decem per annos
Vita téque frui (Deo iuuante)
Francorum dabo LIVIVM *aut* MARONEM.

AD FLORVM Gallo-Francicum.

PRÆFATIO.

VM nihil [a] in omni vitæ genere præstantius literis à Deo immortali hominibus relictum sit, quo vel huius vitæ ad omnem Fortunæ iniuriam præiectæ molestias dispungere, vel negotiorum onera intermittere, vel inimicum virtutibus otium propulsare honestè queant; tum certè ex omnibus scientiis ac disciplinis illæ habendæ sunt præcipuæ, [b] quibus partim ad mores rite componendos, partim ad illustria diuersarum gentium facta instituraque cognoscenda instruimur: vt non immeritò Romanæ historiæ clarissimum olim decus existimauerit, [c] *Ex aliis negotiis quæ ingenio exercentur, imprimis magno vsui esse memoriam rerum gestarum.* Neque hîc necesse est ea referri à me, quæ certissimæ rei & literatorum propè omnium scriptis confirmatæ fidem faciant. Nemo eorum qui vel nostrâ, vel patrum memoriâ res præclarè, pace aut bello factas, domi forisque susceptas ac gestas monumentis consignauit, ea prætermisit, quæ ad suscepti operis eo umendationem videbātur aliquâ ex parte pertinere. Ego verò hærendum mihi diutius non in eo esse existimaui, vbi tot illustrium scriptorum ingenia desudarunt; simul ne per insolentiam quis existimet, memet studium meum (vt illud Sallustij vsurpem) laudando extollere: sed instituti hoc in opusculo mei rationem reddendam esse quamprimùm, illud demum operæ pretium facturum

Sallust. Iugurth

me fum arbitratus; vt & operis scopus habeatur, & rerum quæ hic à me describuntur dignitas agnoscatur; ac eorum denique, qui eas gessêre virtus, ac fama magisque celebretur.

Altero ferè ab hinc anno exiuerat à me libellus, FLORVS nimirum, FRANCICVS; quo presso quidem, & vt propositi formam operis decebat conciso, & quia plurimis placuit, non ingrato stylo, bella à Francis suscepta, variâque vt sit fortunâ gesta complexus fueram. Sed quia festinantiùs fortasse quàm accuratiùs, in breuissimum fasciculum tot ac tanta gentis nostræ facta compegeram, vt aut plerâque omissa, aut nonnulla turbata, aut multa nimis non ea quâ par erat diligentiâ perquisita fuisse viderentur; fecit ea res, vt subcisiuis horis, quæ mihi à scholarum strepitu aliisque eius generis occupationibus relictæ sunt, veterum monumenta, nostrorumque hominum commentarios euoluerem curiosius: ne quid in posterum quod ad Gallorum Francorumque res bello potissimum gestas spectaret, aut desideraretur inductum, aut ignotum quæreretur. Quamquam non mihi ea arrogem, quæ an alicui vnquam viro, quamcumque ille artem professus sit, concessum fuerit, haud satis scio: vt ea breuissimo libello complectar, quæ immensa sunt, & immensis voluminibus à præstantissimis scriptoribus exarata. In quibus tam illi dignam operam, industriamque collocarunt, quàm digna & augusta ea res est quam suscepêre. Enimuerò ex omnibus orbis gentibus, nullam aut fuisse vnquam, aut esse nunc, aut vllis fore aliquando temporibus facile puto, quæ cum Gallo-Francicâ, aut rerum gestarum præstantiâ, aut magnitudine imperij, aut Fortunæ varietate, aut Regum denique ac Principum suorũ factis ac virtutibus comparari queat. Hæc fortissimas gentes, hæc ferocissimos populos, hæc bellicosissimas nationes vicit, hæc orbem penè totum victoriis ac triumphis perlustrauit. Hæc Italiâ imperij florentissimi sedem, ante conditum imperium domuit, in eâque extructis suæ gentis coloniis sedes imperiũque fixit. Hæc Romam victã, captam, spoliatam,

& incendio totam, si vnum collitulum excipias, fœdauit ac diruit. Vnde illi non ferro pulsi, sed auro remoti, qui Romanas legiones apud Aliam conciderant. Hæc Germaniam, omnibus præterquam sibi inuictam perdomuit. Hæc Græciam omnem victis ac prostratis vno altero-que prælio Macedonibus sibi reddidit vectigalem. Hæc Asiam vniuersam prostratis hostibus occupauit. Hæc Thraciam, Pannoniam, Illyricum imperio quondam suo adiecit. Hæc Africam armis penetrauit. Nihil hic moror Hispaniam, cuius adhuc nobilissimiæ prouinciæ nomen præferunt; nihil Britanniam, quam nunc Angliam appellamus, quæ tota pene olim Gallica fuit, commemoro: vt penè orbis totus aut Gallis morem gesserit, aut ab his subinde è suis terris emergentibus fuerit occupatus. Quò factum putem, vt plura singulos gessisse Gallos veterum testimonio, quàm cæteros orbis terrarum populos manifestum sit: ac in cæteris debellandis Romani quodammodo luderent, in Gallos verò totis suæ Reipublicæ viribus niterentur. *Vsque ad nostram*, inquit Sallustius, *memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certari*: vt in Gallico tumultu; nemo esset ciuis Romanus, qui sibi vllâ excusatione vtendum putaret. Gallia verò Romanis adeò timenda, vt ex vna è tot gentibus, ipsi perio potentissimo æmula ac quodammodo fatalis crederetur; eamque natura inuictis Alpium iugis, quæ armis non potuisset, ab Italia summouisse. *Alpibus Italiam munierat ante natura*, inquit Romanus orator, *non sine aliquo diuino numine: nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam hæc vrbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset*: adeóque trepidatum olim instantibus Gallis, vt de finibus Gallorum terris dimittendis, ac populis libertate donandis agitatum in senatu fuisse testentur Historici: ne cùm eis pugnare toties cogerentur, à quibus sicut à Græcis facundia & eruditione, sic rei militaris scientia vincebantur. Hinc factum putem vt Gallia à Liuio

Sall. Iug.

Cic. pro Front.

Cic. de prouinc Consul.

Appian. l. 3. Bell. ciuil.

Areimanium, quippe quæ viros e marte furentes ἀρειμανίους habeat, appelletur. Victi tamen; sed communi gentium fato: nec nisi intestinis fracti malis ac discordiis, Romanæ (Galli 80. annos pro libertate pugnauerunt: sed Romanorum admirati sunt, & horruerunt cum virtute fortunam) potentiæ Galli decessêre; vt post decennalis belli mutuas clades, Romanæ societati fœderibus æternis iungerentur potius quam vincerentur. Quæ omnia eò certoria esse facilè vnusquisque iudicabit, quòd non à nostris, sed Romanis Græcisque scriptoribus, quorum beneficio res ab omni hominum memoria gestæ, ad nostras vsque manus peruenêre, celebrata sint; atque ab illis potissimum qui ab omni pene æuo, Romanorum bella continuatâ serie & integratâ fide scripserunt. Primi omnium orbis populorum Galli Romanas legiones strauêre; primi Romam cædibus, incendio, ruinis compleuêre; primi seruitutis Romanæ iugum excussêre: primi Authores libertatis ad simile factum cæteras latè gentes oscitantes, insigni exemplo concitarunt: Primi denique collapsam imperij Romani maiestatem, à Barbaris miserè lacerata restaurarunt, & in pristinum statum restitutam, orbis vniuersi consensu applausuque in se transmiserunt. Magna quidem illa quæ à veteribus Gallis vbique gentium locorumque gesta sunt, cùm ea gens vel Optimatum consiliis, vel Regulorum imperiis regeretur; vbi verò Christianâ Pietate imbuta est; non modò virtus non est imminuta; sed aucta: Si quid in moribus vitij aut barbari, rescissum amputatumque est: si quid in omni vitæ genere splendoris & gloriæ, nouo quodam fulgore illustratum: cùm ex feroci quodam ardore ad honestum cultum & flammam viuidiorem sese Galli contulêre. Non enim militaris scientia ab iis derelicta & contempta, sed ad meliorem vsum translata. Ditem suum gentili vocabulo Serapim dictitatum, à quo se oriundos & prognatos præditabant, ablecêre, vt verum diuini numinis cultum Religionemque sectarentur. Apollinem Belenum, siue Velianum à iactu & emissione

Sall. Cat. Liu. lib. 28. Ioseph. Bell. Iud. l. 2.

Pith. aduers. l. 1. c. 3. Cæs. l. 6 de bello Gall.

radiorum appellatum, [a] quòd morbos auerruncare ac depellere crederetur, in honore ac pretio diu habitum depulêre, vt salutis humanæ restauratorem cultu ac veneratione prosequerentur. Martem bellorum Ducem ac Deum Hesum seu Heum nuncupatum, longissimè à se profligarunt; vt potentiori numine in bella pro Pietate gerenda prosilirent. Mineruæ, operum atque artium inuentrici exilium indixêre, altioris cuiusdam sapientiæ vim experturi. Iouem denique ipsum, quem vt Cœlitũ Ducem ac Parentem, vanis decepti superstitionibus anxiè venerabantur, Taranimque patriâ linguâ vocitabant, tanto sunt execrati studio, quantus in eo colendo affectus olim extiterat. Mitto Mercurium à Germanis VVodam, ab ipsis Teutatem & Anubim latrantem Deum dictum; Herculem Ogmium, aliaque eius generis multa; vt quæ natio erat omnium admodum dedita [b] Religionibus, atque ob eam causam, vel affecti morbis grauioribus, vel in præliis ac periculis constituti, aut pro victimis homines immolarent, aut se immolaturos vouerent; mutatâ feliciter rerum facie, vni duntaxat ac veræ Religioni penitissime se addixerit. Nec verò vllus tot Regum (quod ad nobilissimæ ac Christianissimæ gentis famam maximum esse debet) qui à susceptâ semel Christi fide per M. CLX & amplius annos imperio Francico præfuere, ab eâ Religione ne transuersum quidem vnguiculum, deflexit; sed ne cogitauit quidem. Multa in templis Religio, multa in Religione pietas; incredibilis in pietate sanctitas, singularis in sanctitate maiestas. Hinc arma ad propagandam Christianorum fidem suscepta, quæ antea pro gloriâ, pro finibus sumebantur. Transportati in Asiam Africamque, sed melioribus quàm antea auspiciis exercitus? repressus Barbarorũ furor, prostrata Gothorum impietas, perfidia Longobardorum superata: excitata in Oriente regna imperiaque: tantusque Francici nominis terror, vt ad famam aduentûs, non expectato conspectu inuictæ gentis, concideret immanis Sarracenorum audacia, ferox Maurorum impetus sisteretur.

Cæs. ibid. Liu. l. 5.

Agath. l. 1.

Turcarum denique ac Barbarorum omnium ferocia frangeretur. Tantum verò huic genti concessum est; vt Francorum nomine Europæi omnes continerentur; Nam & Arabes & Abyssimi, quos Prestigiano subesse ferunt, Europam Frankiam; Turcæ & Asiatici S. Pontificem Francobegum; id est Francorum Principem, Christianam Religionem, Frankiam nuncupare adhuc vulgò consueuerunt. Indi cùm primùm eò Lusitani nauigarunt, eosdem Francos appellabant: quo nimirum olim iure, ob egregias Gallorum expeditiones, Europæi omnes Celtæ, Europa Celtia à nonnullis vocitabatur; vt iam mirum vel ignaris rerum, vel nobilissimæ nationis inuidis esse debeat, gentem illam quæ ex geminis illis populis in vnum velut ciuilis societatis corpus coaluit, tantum esse passim adeptam famæ, vt omnium prima vltro agnoscatur. Hinc Christianissimi Francorum Reges appellati, a fidei propugnatores ac vindices, Ecclesiæ Primogeniti filij, Athletæ Christi strenui, ac Religionis defensores; quippe qui Italiam, Germaniam, Pannonias, Græciam, Asiam, Africam, Hispaniam, Orbem pene totum ab improbissimæ ac barbaræ immanitatis ne dicam seruitutis iugo liberatum, Christianæ Religioni reddiderint: ac se exundati ex Oriente in Occidentem Barbarorum multitudini, ne vniuersum nominis Christiani orbem fœdâ eluuione obrueret & fidem (si Deus velit) extingueret, muros se ac validissimos obices obiecerint. Horum exemplis pleni scriptorum libri, plena volumina, plenæ sapientum voces, plena ora populorum: nec adhuc inuidia vel inimicorum furor, eam laudem euertere, non æmulatio gloriam omnium animis altissimis radicibus inhærentem euellere vllo modo potuit. [b] Galliam cæterarum gentiũ Reginam, Honorius III. Sum. Pont. appellauit. Gregorius nonus Pharetram esse ait, quam Christus sibi circa femur accinxit, ex quâ sagittas electas, ita enim loquitur, ipsas vt sibi gentes & regna subiiciat, in arcu brachij potentis emittit. D. Gregorius tantùm cæteris nationibus Galliam præstare censet,

Ozor. l. 5. de gestis. Emman. Pontian. l. 5. c. 7. orig. Fr. Ptolem. l. 2.

quantùm Regiæ dignitatis apex cæteris honoribus antecellit. Quæ omnia honoris & dignitatis plenissima nomina, nõ suâ aut alienâ assentatione Christianissima gens est assequuta: sed ipsa suis sibi laboribus, suis periculis, suo sudore, ac sanguine toties comparauit. Quid si diuinissimos Heroas pro Religionis libertate ac securitate depugnantes enumerem; quanto illi vultu, quam egregiâ dignitate è medijs Historiæ monumentis se attollent! Martellum illum Barbarorum, id est Sarracenorum verè Malleum, quot & quanta bella pro fide, nisi inuicto fuisset animo, obiuisset? Immanis hostium multitudõ Hispaniæ iam victrix, vno altero que Prælio Abderamio Duce concisa, in agro Turonensi cæ sa cum exercitu que trophæa, quæ nullus antiquorum Cæsarum potuisset adæquare: eo facto Francorum Princeps, Galliam vastitate, orbem seruitute, Religionem vltimâ clade vindex acerrimus liberauit. Iudæ Saxonas adhuc paganos in Germaniâ. Longobardos Pontificiæ sedis hostes perpetuos in Italiâ, solo nominis terrore redegit in ordinem; vt ei Petri vincula & Claues à Greg. III. S. Pont. tanquam Patrono ac defensori Religionis submitterentur. *Anm. l. 4. c 17.*

Nec inferior Pietate ac Religione, vti nec animi magnitudine tanti Parentis dignissimus filius Pipinus; is qui bis transmisso vltra Alpes exercitu, factâque Longobardorum audaciâ primus à amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit. Exigetur voluminum instar Caroli virtus, eius inquam qui à magnitudine rerum gestarum Magni cognomen adeptus: extinctâ in Desiderio Rege, infestâ Summis Pontif. Longobardorum gente; Sarracenis in Hispaniâ profligatis, Saxones, Sclauos, Boemos, Hunnos, alios que Barbaros acie toties victos ad fidei Catholicæ partes illustriori victoriâ traduxit: tantis pro Religione gestis rebus, Imperatoris insignia primus ad Francos transmisit. Ludouicum Pium prætereo, Philippum Augustum alios que primis in Barbaros expeditionibus celebres omitto, vt longâ fortissimorum Regum intermissâ serie ad D. Ludouicum accedat oratio

Hic ſublatis è regno Albigenſibus Hæreticis, vt domeſticis rebus compoſitis tutiùs de externis cogitaret, C D. nauium claſſe inſtructus, tranſportato in Ægyptum exercitu, ac ſecundò in Africam vectus, vt afflictis Piorum rebus opem ferret, luctantem inter extrema omnia animam, pro Chriſti gloriâ feliciter effudit in victoriâ. Ab eo quidem, ſed longo inſequentium regum interuallo ortus Ludouicus Iuſtus, quòd is ſe auitæ iuſtitiæ ac pietatis præbeat imprimis æmulatorem, quàm non longè deflectit à tanti Regis virtutibus! quàm proximè ad eá quæ Pietatis ſunt ac Religionis accedit! vix decennis, vt de D. Ludouico fertur, in maiorum ſolio, immaturâ indignâque Henriti Magni fortiſſimi Parentis morte collocatus, quot & quàm difficilia bella, pro Religione ſuſcepta fortiter geſſit? quot ille vrbes, quot arces oppidaque feliciter expugnauit? quot hoſtes domeſticos, externos, terrâ marique inſigniter profligauit? donec inhærentem ac penitus infixam Galliæ viſceribus peſtem, quæ tot annos graſſata impune ac dominata fuerat, exſcinderet, & teterrimam illam hydram fœcundam malis, ac fœtiſſimis capitibus repullulantem, ferro flammâque Hercules Gallicus peſſumdaret. Quod factum, omnium gentium literis atque linguis prædicandum, Deus ille immortalis noſtris annis LVDOVICO XIII. IVSTO, PIO reſeruauerat; QVI RICHELII CARDINALIS per omnia Maximi * conſilio potiſſimum vſus, arcem ciuium perditorum, parricidarum receptaculum, caſtellum communis latrocinij, buſtum legum omnium, Patriæ incendium, propugnaculum impietatis, Rebellionis Aſylum, factionum officinam, furioſorum aram, fontem malorum omnium, in vnius Rupellæ excidio euerteret, diueret, perderet. Ac ea quidem quæ pro Religione geſta ſunt paucis delibauimus. Quid ſi ea in medium proferam, quæ partim à primis Galliæ velut incunabulis, partim à fortiſſimis Regibus his poſterioribus ſæculis facta, immortalem gloriam in hominum mentibus adepta ſunt? quanta erit Bellouefi, Sigouefi fama? quorum virtutibus Ger-

mania, Italia, Illyricum, Pannonia, orbis pene vniuersus impar fuit. Quanta Brenni Belgijque laus? Fusi Romam, capta, incensaque Roma, victi Macedones, Græcia spoliata, subiugata Thracia, Asia infesta, tot latè gentes debellatæ testantur: vt diuisis nominibus totum orientis imperium Tectosagi, Tolistobogi, Trocmesij, Scordisci, aliique Gallorum populi occuparent. Quid verò tot diremptos ætatis gradibus enumerem, Atum, Galathem, Congolitanum, Aneroestum, Brittomarum, Viridomarum, Cintibilem, Bittum: & Cæsari notissimos Dumnorigem & Diuitiacum Heduos; Ambiorigem & Catiuulcum Eburonum Principes; Diuiconem Heluetium, Dumnacum Andium Ducem, omniumque rerum gestarum famâ facilè Principem Vercingentorigem! vbi verè æterno fœdere ac fortunarum omnium societatem, Galli Francique feliciter coiêre; quàm altè, Deus bone, vtriusque se gentis virtus extulit! profligatis, prostratis, pulsis Gallia tota Romanis, a positoque eius imperij fundamento, quo nullum clarius, potentius, augustius. Quantâ se maiestate attollerent è Regibus, Merouæus, Clodouæus, Clotarius, Martellus, Pipinus, Carolus Magnus, Hugo Capetus, Philippus Augustus, D. Ludouicus, Carolus VII. Ludouicus XII. Franciscus I. Henricus Magnus, Ludouicus Iustus? In Principibus viris & imperio dignissimis, vt cæteros multis retrò sæculis insignes omittam, Gothofredus Bononiensis, qui cum inclyto ac delibato Francicæ nobilitatis flore, sacram expeditionem Græcâ illâ Argonauticâ illustriorem suscepit, ac felici exitu captis Hierosolymis, exactis Barbaris consummauit: Tancredus, Guichardus Saracenorum perpetui hostes, Buciqualdus, Guesquinas, Clissonus, Vasto Fuxius, Lautrecus, L'Escunus, Bayardus: & nostris ferè temporibus Borbonij, Guysij, Longueuillani, Mœnij, Monmorantij, Cossæi: ac superioribus bellis insignes Bironius, Bullio, Supernonius, Schombergus, Forcius, Effiatus, Thoraſius, aliique numero infiniti. In tantâ sæculorum serie longum esset recensere, quot Du-

cibus, Regibus, Imperatoribus, Galli præ cæteris orbis gentibus floruerint. Sed non fuit mirum gentem inter arma natam & ferrum, bello industriam, tot prouincias, tot hostes, ipsum Principem gentium populum superasse, [a] quæ ad arma & cruentissimas pugnas quasi ad epulas ac delicias inuitata properabat: gens tantùm timoris expers, quàm virtutis ac generositatis plena; vt Magno quondam Alexandro interroganti quidnam maximè timeret, respondisse fertur: nihil aliud quàm ne cœlum rueret: quod & Francis familiare fuisse ferunt. *Strab. l. 7. Nicet. Chon.*

——— *hos ille timorum* *Luca. l. 1. Pharſ.*

[b] *Maximus haud vrget belli metus; inde ruendi*
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignauum redituræ parcere vitæ.
Non timor, inuictique manent, animoque superſunt
Iam prope poſt animam. *Sidon. Apoll.*

Adeo vt apud Delphos quondam nec Bipennibus diuisi, nec gladiis conciſi, aut missilibus confixi & sagittis deficerent; sed quandiu vitæ reliquiæ supererent, sæuirent; in iacentium vultu toruâque facie, depicto terrore, quo viui hostes exanimabant. *Pauſ. in hocicis.* Sed quid ego ista tam nota testatáque omnibus pluribus persequor? eò me rapuit nec inuitum rerum pulcherrimarum ardor. Verùm eò referendus est stylus, vnde iampridem digressi sumus, & ad operis institutum conuertenda oratio. Tot igitur res præclarè gestas, tot expressas virtutes, tot Ducum [illegible] Heroum facta illustria, octo [illegible] duas partes distributis, eâque formâ, vt familiares omnibus, domi foris delectare, non impedire quenquam posſint, complexi sumus; breuissime ascriptis quoad fieri cõmodè potuit, annorum notis. Harum prior veterum Gallorum, altera Francorum, vtraque [illegible] vtriusque, cùm vna sit omnium origo (vt quibusdam placet) vnusque ortus, stupenda facinora bello potissimum edita continebit: Atque vt mirum in modum arridere solet, in hoc potissimum scribendi genere, rerum omnium diuersitas, præter ea quæ bellis agnata sunt, alia nonnunquam,

vt se dedit res, immiscuimus, quibus historiæ series non tam texeretur, quàm ornaretur: deinde concisâ & per moras quasi ac intervalla capitum distinctâ, rem vt spero vtilem, vt sentio iucundam, vt contendo necessariam nostris hominibus ac nouam, vt omnes iudicare possunt, honestam composuimus: cuius beneficio in posterum, nequid dicam insolentius, Francorum in rebus gestis ac moribus suæ gentis, aut negligentia aut inscitia, supinaque incuriæ expungi facile poterit: & de iis quæ nos contingunt, loqui, disserere, scire ac meminisse audire iuuabit vel maximè: nec in patriâ hospites, in Galliâ exules, domi peregrinari, externorum appetentes, nostrorum incuriosi, vltra esse videamur, ac iis denique cognitis aut perceptis quibus maiores nostri longè cæteris excelluerint, ad eorum famam vel adæquandam vel superandam, gloriæ immortalis nos accendat cupiditas. Atque, vt ea Francorum historia amœnior lectioque iucundior haberetur, fatigatumque longâ forsan rerum serie animum, petita aliunde suauitas recrearet: ex veterum scriptorum velut hortulis sententiarum flores collegi, & inserui in has capitum corollas, nonnunquam etiam autorum vtde illæ inceptæ sunt nominibus, velut gemmis margines prætexui. Vos interim, Galli, vos Franci, vos populares mei, vos literarum artifices, vos Musarum quotquot estis antistites, laborem nostrum, classici laboris velut vltimum impetum æqui bonique consulite: quod [illegible] damus studio gratis amicisque animis accipite, [illegible] accendite. Si quis interim, quod absit, forte obtrectauerit, si quis carpserit aut genuino dente hos conatus meos adroserit; me profecto nunquam pigebit cum Tacito *vel incondita ac rudi voce memoriam priorum celebrasse, ac testimonium præsentium bonorum composuisse. Hic interim vt spero, liber honori patriæ destinatus, professione pietatis suæ laudatus erit, aut excusatus.*

Tac. in vit. Agri.

INDEX CAPITVM FLORI GALLICI.

Libro primo hæc continentur.

De Gallorum in scribendo incuriâ. pag. 1.
De Galliæ situ & vbertate. pag. 2
De Galliæ appellatione. 3
De Galliarum Monarchia siue regno. 5
De priscis Gallorum Regibus. 6
De Thocensium in Galliam appulsu. 8
Bellum Germanicum primum. 10
Gallorum in diuersas orbis partes irruptio. 11
Bellum Romanum primum. 12
Roma à Gallis capta. 14
Galli à Camillo fugati. 15
Gallorum & Romanorum mutua odia. 16
Bellum Romanum secundum. 17
Bellum Romanum tertium. 18
Bellum sociale primum in Romanos. 19
Bellum Romanum quartum. 20
Bellum Romanum quintum. 22
Gallorum ferocia. 23
Bellum sociale secundum in Romanos. 24
Bellum Romanum sextum. 25
Bellum Macedonicum primum. 27
Bellum Atheniense. 29
Bellum Delphicum. 30
Gallorum in Asiâ dissipatio. 31
Aurum Delphicum & Tholosanum. 32
Bellum Macedonicum secundum. 33
Galli Asiam occupant. 34
Gallorum in Asia diuisio. 35
Bellum Macedonicum tertium. 36
Gallorum gens Mercenaria. 37
Galli armis inuicti delitiis frangunturs. 39

LIBRO SECVNDO

hæc continentur.

	PRologus.	41
I	Bellum Romanum vi.	42
II	Gallorum vires imminutæ.	42
III	Gallorum intestina discordia.	43
IV	Bellum Romanum vii.	44
V	Bellorum vicissitudo	47
VI	Bellum Romanum viii.	48
VII	Galli sub iugum missi.	49
VIII	Galli pro Carthaginiensibus in Romanos. 50.	
IX	Massiliensium fides erga Romanos.	51
X	Hannibal opera Gallorum Alpes transmittit.	52
XI	Carthaginiensium de Romanis victoriæ.	54
XII	Romani à Gallis cæsi.	54
XIII	Hannibal Italia eiectus.	55
XIV	Bellum Romanum ix.	56
XV	Bellum Romanum x.	57
XVI	Bella in Asia varia fortuna à Gallis gesta. 60.	58
XVII	Galli à Romanis in Asia debellati.	62
XVIII	Galli Tectosages in Asia profligati.	63
XIX	Bellum Macedonicum cum Perseo.	64
XX	Galli Scordisci in Thracia fusi.	64
XXI	Galli à Romanis moderatè habiti.	65
XXII	Alpinæ Gallorum gentes subiugatæ.	66
	Anacephalæôsis.	67
XXIII	Bellum ab Italia in Galliam translatũ	68
XXIV	Galli in Thraciâ identidem profligati.	69
XXV	Veteris Galliæ descriptio.	71
XXVI	De Gallia Transalpina.	72
XXVII	De Gallia Narbonensi.	72
XXVIII	De Gallia Aquitanica.	73
XXIX	De Gallia Celtica.	75
XXX	De Gallia Belgica.	76
XXXI	De statu siue politia veteris Galliæ.	79

LIBRO TERTIO hæc continentur.

PROLOGVS 81.

I	BEllum in Salyios gestum à Romanis.	82
II	Bellum Allobrogum & Aruernum.	82
III	Colonia Narbonem ducta.	84
IV	Bellum Cimbricum.	85
V	Galliæ seruitus primùm imposita.	87
VI	Bellum Sertorianum.	88
VII	Vexatæ à Prætore Galliæ.	89
VIII	Bellum Ciuile Grassatorium.	90
IX	Vasconum origo.	91
X	Galliarum quies ingens.	92
XI	Gallorum factiones ante Cæsarem.	92
XII	Galli Cæsarem euocant.	93.
XIII	Gallicum Bellum Cæsari demandatum. 94.	
XIV	Belli Heluetij tumultus.	95
XV	Heluetij à Cæsare profligati.	96
XVI	Bellum Germanicum pro Gallis.	97
XVII	Bellum Belgicum Cæsarianum.	99
XVIII	Bellum Armoricum.	101
XIX	Armoricorum Rebellio.	102
XX	Galli in diuersis regionibus à Cæsare profligati.	103
XXI	Rhenus à Cæsare primùm traiectus.	104
XXII	Bellum Britannicum.	105
XXIII	Bellum Britannicum secundum.	107
XXIV	Gallorum in Cæsarem rebellio.	107
XXV	Galli in ordinem redacti à Cæsare.	109
XXVI	Sicambri aliique pop. à Cæsare compressi.	110
XXVII	Gallorum secunda in Cæsarem rebellio III.	
XXVIII	Cæsaris clades circa Gergouiam.	113

XXIX	Gallorum Rebellio tertia in Cęsarem.	114
XXX	Gallia omnis à Cæsare domita.	115
XXXI	Cæsar Galliarum victor.	116
XXXII	Cæsare Gallorum opera Romanis bellum infert.	117
XXXIII	Massil. à Cæsare capta.	118
XXXIV	Cæsaris mors.	119
XXXV	Gallorum vis ac robur.	119
XXXVI	Res gestæ in Gallia sub iij. viratu secundo.	120
XXXVII	Gallorum rebellio sub Augusto.	121
XXXVIII	Augustus in Galliam profectus.	122
XXXIX	Alpes auspiciis Augusti domitæ.	123
XL	Augusto honos habitus à Gallis.	123
XLI	Galliarum diuisio per Augustum.	124
XLII	Galliarum ciuitates clarissimæ. &seq.	125

LIBRO QVARTO hæc continentur.

PROLOGVS 131.

I	CHristi natiuitas.	132
II	Augusti clades domesticæ.	132
III	Clades Variana per Gallos.	133
IV	Galliarum sub initia Tiberij quies.	134
V	Galliarum Rectores summi viri.	135
VI	Rebellio Gallorum sub Tiberio.	137
VII	Christi mors.	139
VIII	Gallia per Caligulam spoliata.	139
IX	Galli in curiam asciti per Claudium.	140
X	Claudij in Gallos affectus singularis.	142
XI	Gallia Christiana.	142
XII	Mosellæ & Araris iungendorum consilium.	143
XIII	Neronis crudelitas.	144
XIV	Romæ incendium & Christianorum supplicia.	145

Index Capitum.

XV	Neronis in Galliam affectus.	146
XVI	Gallia à Germanicis legionibus vastata. 147.	
XVII	Galba à Gallis imperator assumitur reijciturque.	148
XVIII	Galliarum turbæ sub Othone.	149
XIX	Vitellij res gestæ in Gallia.	150
XX	Luctuosus prouinciarum status.	151
XXI	Batauorum rebellio in Romanos.	152
XXII	Galli imperium affectant.	154
XXIII	Galli rebelles deditionem faciunt.	156
XXIV	Galliarum quies sub Vespas. & Tito imp.	157
XXV	Gallia sub Domitiano.	157
XXVI	Gallia sub Nerua à Traiano.	158
XXVII	Gallia sub Adriano & Anton. Pio.	159
XXVIII	Gallia sub Aurel. Philos. & Luc. vero imp.	160
XXIX	Gallia sub Commodo.	162
XXX	Gallia pertinace D. Iuliano & Seuero imp.	163
XXXI	Gallia sub Caracalla.	165
XXXII	Gallia sub Macrino Heliogab. & Alex. Seuero imp.	166
XXXIII	Imp. Rom. Turbæ sub Maximino Gordiano & Philippo imp.	167
XXXIV	Gallia sub Decio Æmiliano & Valeriano imp.	168
XXXV	Franci sub Gallieno.	170
XXVI	Gallia sub Claudio & Aureliano.	171
XXXVII	Gallia sub Probo.	173
XXXVIII	Francorum virtus sub Probo.	174
XXXIX	Gallia sub Diocletiano & Maximiano imp.	175
XL	Franci sub Dioclet. & Maxim.	176
XLI	Diocletiani impietas.	177
XLII	Gallia sub Galerio & Constantio.	178
XLIII	Vindicata Christianorum religio.	179
XLIV	Rom. Imp. sub Constantino M. turbæ. 180.	
XLV	Franci sub Constant.	181
XLVI	Diuisio Imp. Rom.	182

XLVII	Gallia sub Constantini M liberis.	183
XLVIII	Franci sub Constantio.	185
XLIX	Franci sub Iuliano Apostata.	186
L	Franci sub Iouiano & Valentiniano.	188
LI	Imperium à Barbaris laceratum sub Valente à Gratiano.	189
LII	Franci sub Theodosio M.	190
LIII	Franci sub Honorio & Arcadio.	192
LIV	Gothicum in Gallia Regnum.	195
LV	Franci Galliarum partem occupant.	196

EPILOGVS.

AD R. P. BERTHALDVM Flori Gallici Authorem.

ODE TRIC. TETRAST.

Permixta doctis fabula vocibus,
Inane ventis ludibrium liget
Mentes subactas, quò videtur
Arbitrio trahit insolenti.

Quippe ordinatis ritè leporibus
Seu, falsa narrat, Musa potentiùs
Irrumpit, & cunctos triumphans
Herculeâ illaqueat catenâ.

At cessat in te fallere, cui dedit
Doctrina fraudis nescia, Francico
Nascente Floro, laude iusta
Franciadum superire nomen.

Nam quidquid Atlas conspicit arduum,
Quicquid niuali vertice Caucasus;
Intacta Francorum sub armis
Exiguo petras libello.

Moliris at nunc, non sine Numine
Maiora, per te Gallia nam situ
Obliuioso vindicata,
Bella iterum reparans vetusta.

Terret rigentes Sidonio gelu
Et semimauros fulmine discutit
Dum cuncta terrarum pererrant
Marte tuo populata calcat.

Ister tumentes frustra rotat globos
Augetque Cinyps flumina; seu placet
Per Pannonum campos vagari
Seu Libycis equitare campis.

Negans amicam vir Macedo fidem
Iusto cruentus funere concidit:
Vicisse nec Persas nec Indos,
Profuit auxilio nepotis.

Quin ipsa fatis Roma timens: Iouem
Falsum putabat, dum Capitolij
Possessa victrices cateruas
Exitio stupet imminentes.

Sic bellicosis Gallia gentibus
Virtute stratis magnanimâ, viam
Per cæde fumantes recessus
In geminum sibi fecit orbem.

Quamquam quid altum Musa leui petis
Tentare cymbâ, vorticibus cades
Absorpta, iam fluctus sonantes
Horribiles glomerant ruinas.

Berthalde fœlix! tale cui datur,
I perge semper, Francica nec priùs
Cessa remoliri trophæa,
Quàm titulos volites per omnes.

Franciscvs Bonichon.
Cong. Orat. D. Iesv.

ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΙΔΕΣΙΜΟΝ ΚΑΙ
πολυμαθέστατον πατέρα Πέτρον Βέρθαλδον
τῆς τῶ Θεατρείω τάξεως πρωτοβύτερον.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

ΙΣΟΣ Βιργιλίῳ πολεμόκλονα πύργα παρόντων
Βέρθαλδε συγγράψας μέτρῳ.
Τίπτε παλαιὰ κραμῶν μικρόν μοι φλῶρον ἀνίσης.
Δὸς ; δεινὸς εἶ, Λιούϊον.

IDEM LATINE.

VIrgilio æquandus præsentia bella laboras
Vir erudite scribere.
Quid veterum, BERTHALDE, retexens prælia, Florum
Scribis ? potes, da Livium.

Ant. Boullet C. O. D. I.

AD STVDIOSVM

HISTORIÆ GALLICÆ & Francicæ.

ANAGRAMMA.

PETRVS BERTHAVLT.
PVRE' LVSTRAT, HABE.

QVI PVROS *capis Historiæ decerpere flores,*
Hos, tibi quos FLORVS *porrigit iste, legas:*
Gesta, Trophæa, Duces Gallorum ex ordine LVSTRAT
Berthaldus secli lumen, honosque sui;
LVSTRAT, *& illustrat quæ quondam obscura latebant,*
Immò etiam PVRE' *singula* LVSTRAT, HABE.

I. MAILLY.

G
52
51
50
49
48
46
45
Occidens

FLORI GALLICI, LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De Gallorum in scribendo incuria.

GALLORVM [a] gentem, vt virtutibus, sic rerum domi forisque gestarum, fama claram ac nobilem, nulla scriptorum monumenta, nullæ exterorum linguæ cùm sileant; mirari nunquam desino, cur adeò sui oblita quondam fuerit, vt cæteris sua prædicantibus, ipsa quodammodò obmutesceret: cum præsertim [b] haud minus interfit Reipublicæ, esse qui præclara gerant, quàm qui præclarè gesta, nunquam intermorituris literarum monumentis consecrata, [c] ad memoriam posteritatis transmittant: ne in ipsâ patriâ, quasi in remotissimis terris peregrinari videamur. Ac cæterorum quidem populorum prospera vel aduersa, claris Authoribus memorata sunt: nec defuisse putem primis clarissimæ gentis temporibus dicendis decôra ingenia: Sed Ducũ quàm Scripto-

rum copia vberior, d & maior famæ aut rerum, quàm literarum librorumque cura fuit; cùm optimus quisque facere quàm dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quàm aliorum ipse narrare mallet. *Pulchrum quidem est benefacere Reipublicæ, etiam bene scribere haud absurdum.* Solos verò in conscribendis egregiè factis & institutis suis Gallos elingues extitisse, id demum vehementer miror. Vnum illud est, quo nobilissimæ gentis supina incuries excusari possit: *Scriptis facta antepositi*, & publico Orbis terrarum sensu ac voce; meliùs ac laudabiliùs ad posteros propagatum iri sua facta existimauit, quàm si populariũ suorum literis consignata legerentur. e Duas res imprimis sequutos Gallos accepimus, rem militarem, & argutissimè loqui; tantùm famæ ac nominis apud posteros, quantùm suis pro Republicâ factis peperissent, f memoriam virtutis suæ, altiùs in liberorum suorum animis, quàm librorum monumentis, per continuam ac traducem laudem infigentes. Hinc vetustissima Druidum Sacerdotum disciplina fuit, g vt recondita versibus (quos discipulorum memoriæ committerent) illustrium pace ac bello virorum facta complecterentur, quò ad similem virtutem, ipso quasi vitæ ingressu, iuuentus h accenderetur. Verùm, cùm aut nostris, aut non ita remotis retrò annis, in hominum manus nonnulla exierint, quibus passim ex incondito memoriarum aceruo probè collectis, nostræ gentis gloria haud parum enituit; *Quia reip. interest vt facta quæque posteritati tradantur*; eadem cupido incessit vindicandæ ex tenebris obscurioribus, ac fœdo propè obliuionis situ eruendæ veteris Galliæ: vt & maiorum præclaræ res videantur memorenturque, & his excitati qui à tam claris parentibus oriundi sunt, auitum decus adæquent, augeantque.

Sall. Cat.

Cat. in orig.

Cæs. l. 6 de bel. Gal.

Suet.

CAPVT SECVNDVM.

De Galliæ situ & vbertate.

QVidquid [a] igitur terrarum Rheno, Alpibus, Pyrenæis montibus, vtroque Oceano, tantis natura munimentis cinxit inclusitque, Gallia propriè dicta appellatur: opulenta & valida, viris, vrbibus, ciuitatibus: vicis referta & ornata, adeò vt nulla ei gens conferri ac comparari possit. Felix præpinguibus glebis, commoda prouentibus fructuariis, vitibus consita, nec non oleis in optima sui parte, quâ Mediterraneis fluctibus alluitur: [b] omni ad vsum animantium fœtu beatissima, riguæ & fluminum & fontium aquis, rerum denique omniũ copia adeò ferax, vt & ipsa sibi facile sine aliarum ope, & cæteræ Europæ regiones, vix sine eius beneficio sibi sufficere queant: Inde vina, inde annonæ, inde satietas, inde facilis rerum quarumcumque commeatus: nulla ipsius pars, quàm latè porrigitur, inculta est: quanquam longè magis frequentiâ hominum, quam curâ diligentiâque incolatur: quippe viri bellorum magis, quàm agri colendi studiosi sunt; quodque omnium pulcherrimum est & maximum, media vtrinque clarissimas gentes Italiam Hispaniamque contingens, aut Regina imperitat, aut alumna enutrit: ac vtriusque maris commodis diues portubus, in omneo orbis terrarum partes vela dimittit.

Ios l. 2. c. 17. Solin. c. 24.

Strab. l. 4.

CAPVT TERTIVM.

De Galliæ appellatione.

NOmen [a] verò ab initio proprium & peculiare quod habuerit, haud ita facile dispectu est. Ferunt enim post terrarum inundationem, Celtarum gentem ab Aschenaze quodam propagatam, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Illyrici

Paus. Attic. Amò Marci l. 15.

fines, Britannicas etiam insulas insedisse. Quanquam non desint, qui Celtarum [b] nomen (quo potissimum Galli intelliguntur) vel ab Pyrenæorum incendio dictum, vel quòd ea gens equitatu imprimis polleret, quasi dicas Celètes, existimient. Quin Aborigines his in regionibus visos, id nominis sortitos fuisse putant, vt nomine Regis, in quem singularis populi amor, Celtæ dicerentur; velut & matris eius vocabulo, Galatæ primùm, mox Galli. Quis verò ferat poëticum illud, & fabulis anicularum simile, Gallos à Gallo quodam Iapheti filio, cui ab aquarum communi eluuie nomen impositum volunt, appellatos; cùm antea Gomer diceretur? Haud leuiori errore, quàm quo Tubalem Noemi nepotem, in Hispaniam primùm peruenisse, ex gentium dispersione adfirmant. Nec superioribus coniecturis absimile, quod de Hercule Amphitryonis filio somniant, qui ad Geryonis & Tauriscì Tyrannorum, quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat, perniciem festinans, Galatam ex Pyrenâ suscepit, atque inde Gallis nomen imposuit. Nec illis quoque assentior, qui Tarquinio Prisco Romæ regnante, Galliam à Gallis incolis primùm appellatam dicunt. Quid certi inter tot pugnantes ac dissidentes opiniones, quarum haud scio satis, an vlla veritati litauerit, statuemus? Magna veterùm admiratio: eorum qui nostris scripsere temporibus, censura difficilis: Ad hæc *præsentia ferè inuidiâ, præterita veneratione prosequimur: & his nos obrui, illis instrui credimus*. vt nec illos planè erroris arguere fas mihi esse duco; ita nec eorum sententiæ omnino adhærescere cogor. Quid tandem? propiùs vero est, Gallos à γάλα, ac si dicas à lacte seu candore gentis appellatos. *Gens lactea, nomen à candore datum populis*, vt meritò habere quidpiam niuibus suis simile putes: non modò, quia vt caluere pugnâ statim in sudorem eunt, & leui motu quasi sole laxantur; sed niueo potissimum colore ex Regionis situ; quippe quæ nec æstu ardeat immodico, nec sæuis frigoribus aduratur, in omnium penè vultu ac corpore remanente.

Beros. l. 4.

Am. Marc. ibid.

Clu. l. 2. c. 8.

Intr. Geog

Vell. Pater. 2.

Hier. in Gal.

Bapt. Mant.

Fl 2. c. 4.

CAPVT QVARTVM.

De Galliarum Monarchia seu Regno.

CÆterùm principio Galliarum, [a] vt & cæterarum passim gentium imperium penes Reges fuit : [b] quos ad tantæ dignitatis fastigium, cum bonorum consensione digna Imperio virtus promouebat. Nam cùm omnium optima sit reipublicæ forma, [c] vt vni in omnes ius summum, *Vnumque sit quodammodo reipublicæ corpus, ac propterea vnius animo regi ac moueri debeat:* ac pacis interfit omnem potestatem ad vnum conferri, ne imperantium multitudine ac mutatione distraherentur, Regem vnum Galli, quanquam tot illustribus viris niterentur, constituunt ; vt ipso d Máiestatis nomine, augustoque principatu continerentur. Eminebat longe præ cæteris, non solum iis quàs natura hominum capere potest virtutibus, sed etiam diuinitatis cuiusdam opinione Samothes, quem & Ditem appellabant. Hic Gomeri frater, Gallorum qui propter eam adfinitatem à nonnullis Gomeritæ [e] nominantur, Imperium fundasse fertur, anno circiter à diluuio CCLXXXIII. à creato orbe M. DCCCCXXXIX. ante Christum M M LXII. ex communi authorum supputo. Sic tantæ gentis ac dominationis exordium fuit, quo tempore Ninus siue Ninyas Assyriorum rex, tertius à Belo imperitabat : vt penè cum primo omnium gentium Imperio, Gallorum regnum, annorum spatio multò futurum diuturnius & clarius inciperet, LXX. annis, qui minimum plurimumque numerant, ab initio diremptum. A Samothe[f], prisci Gallorum Sacerdotes, qui etiam Semnothei à cura Religionis[g], instituti sunt : vt firmatum optimis disciplinis ac Iustitiâ imperium, Pietate augeretur.

Iust. l. 2.

Tac. an. 1. & hist. 1.

[e] Γομαρίς, μὴν ἀπὸ Γόμερ, οἱ νῦν Γαλάται λεγόμενοι.

Zon. Tom 1. ann Ioseph. l 1. c. 11.

[f] *Laert l 1 de vit. phil.*

CAPVT QVINTVM.

De priſcis Gallorum Regibus.

Tac. ann. 18.

LVbricus a & difficilis eſt locus cui inſiſto: nec dum planè conſtitui, vtrum mihi qui Samothem ſunt inſequuti Reges, dicendi an ſilendi ſint. Nam *vt conquirere fabuloſa & fictis oblectare legentium animos procul à grauitate cœpti operis crediderim*, ita vulgatis traditiſque rebus fidem demere non auſim. Nec verò ſingulorum Regum fa-

Beroſ. l. 5.

A.M. 1986.

bulis perſimiles actiones curioſiùs euoluemus, b ne mythologiam veriùs, quàm alethologiam, id eſt hiſtoriam videamur contexere. Abundè factum erit, ſi qui Reges, & à quibus excepti ſunt, dixerimus. Succeſſit Parenti Samotheo *Magus* filius: hic vrbium conditor appellatus eſt: c nam Rothomagum, Iuliomagum, Nouiomagum, Moguntiam, aliaſque complures extruxit: quo ferè temporis tractu, Treuerorum vrbem, à Treuero Nini Magni filio: qui Nouercæ odio ſe ſubducens, diu profugus in Belgica tandem Gallia conſedit, conditam ferunt. *Magum* excepit *Sarro* filius, literarum amantiſſimus Princeps; à quo fabulantur ſinum Saronicum, quòd in eo Armenia rediés, iuxta Corinthum ſubmerſus ſit, appellatum. Ab hoc Sarronitas Gallorum ſapientes; vt & Druides ab *Dryio* filio tanti parentis haud degenere, nomen duxiſſe ferunt; niſi ad eam arboris ſpeciem quæ à Græcis δρῦς, Latinis Quercus appellatur, ea vox referenda ſit, cùm illi ſyluas incolerent. Tum *Bardus* regnauit, à quo & Bardi Gallorum Poëtæ. Inde *Longho*, cui Lingonum Coloniam tribuunt. hunc *Bardus* 2. illum *Lucus* Lucotheciæ ſiue Lucetiæ, quæ Lutetia eſt, Galliarum nunc primaria ciuitas, fundator inſequitur. tum *Celtes*, inde *Galathes*, Herculis, vt volunt, in Hiſpaniam profectione clarus. *Narbo*, à quo Gallia Narbonenſis. *Lugdus* à quo ſi quis Lugdunum nobiliſſimum Galliæ Emporium conditum dixerit, reddenda ei

c Νειόμαγος τῶν λειψβίων.

Ptol l. 2. Geog.

A.M. 2029.

A.M. 2116.

Am. l. 15.

Strabo l. 4.

Iul. Miſop.

A.M. 2354.

ratio erit, cur nunquam ante Num. Plancum, ea vrbs id nominis vsurpauerit; cùm anteà Insula, ob coeuntem cum Arare Rhodanum appellaretur. Lugdo deinde successit *Belgius* filius: ab hoc Belgica, & Belgæ Gallorum fortissimi. *Iasius* posteà Iouis filius, Dardani frater, à quo interfectus est, si fabulis fides. *Allobrox*, à quo Allobroges Alpina gens. *Romus* deinceps Valentiæ ad Rhodanum conditor; nam Romani fuisse primùm dictam volunt: ab eo insuper Veromandui Belgicæ populi, quasi dicas Romanduos. *Paris* Lutetiæ illustrator magis quàm conditor, inde Parisij. *Lemannus*, Geneuæ ad lacum qui ab eo *Lemannus* dicitur, d fundator. *Olbius* quem Albia Galliæ Narbonensis vrbs ad Tarnim conditorem agnoscit. *Galathes* 2 & *Namnes*, Nannetarum parens, quorum temporibus Ianus in Italia, Laomedon in Phrygia regnauere. *Rhemus*, à quo Rhemi: hunc *Francionem* Troianum excepisse ferunt, qui fabulis magis, quàm optimis rationibus innituntur: e Francioni successores effinguntur, *Sicamber*, *Priamus*, *Hector*, *Troius*, vt Gallis tanquam à Troianis oriundis nominum insigni appellatione blandiantur. quanquam quæ Gallicæ genti laus, si ad eos nascendi sortem originemque referremus, qui non factis aut virtutibus solis, sed ruinâ excidioque imperij claruerunt? *Torgotus*, *Tungrius*, *Teuto*, *Agrippa*, *Ambronius*, *Thuringus*, *Cimber siue Camber*, aliique innumeri insequuntur, quos liberiùs quàm veriùs longâ serie protrudi certum est.

A. M. 2434 *Cæs. l.* 1.

Solin. Cæs. l. 2.

A. M. 2584.

A. M. 2800.

Verùm omissis figmentis, & Amadisicis, vt vocant nostri, fabulis ac commentis; quæ à Beroso, Hunibaldo Trithemio, Annio VViterbiensi, aliisque nugiuendis proferuntur, *qui falso vera, aut maiora vero miscuerunt*; vt multa media incidamus, necesse est ex aliis iisque exteris, quæ tandem præclarè gesserint Galli, ediscere: cùm veterum incuriâ factum sit, vt certi nihil ex eorum gestis relictum ac mandatum memoriæ sit.

Tac. 2. hist.

CAPVT SEXTVM.

De Phocensium in Galliam appulsu.

Agath. l. 1. Am. Marc. l. 15.

HActenus igitur se suæ Galliæ finibus Galli continuerunt ; quanquam & virium abundantiâ, & virorum multitudine florerent, cùm à Phocæâ, Asiaticus populus Harpagi Darij regis Præfecti crudelitatem ægrè ferens, quo tempore ab Medis ad Persas imperium translatum est, primùm in Italiam ostio Tyberis inuectus: inde pactâ cum Romanis amicitiâ in Galliam delatus, post leuia aliquot cum Salyis Prouincialibus prælia, [a] Massiliam nobilissimam vrbem [b] inter Ligures ac feroces tunc Gallorum gentes condidit. Duces classis Simos & Protis ; nonnulli Peranum ac Furiũ Phocensium iuuentuti præfuisse adfirmant. Sed facile est dissidentes conciliare, si binâ expeditione, eò profectam Phocensium classem dixerimus. Fama est in altum prouectos, eo se publicè sacramento ac diris execrationibus deuouisse, [c] non se priùs domum reuersuros, quàm massa ferrea, quam præfati horrendum carmen in mare demiserant, nullo extrahente expiscanteque sursum emergens, in summis extaret fluctibns. Erat tunc temporis Regulus regionis, in cuius finibus vrbem condere gestiebant, Nannus. Is fortè, more gentis, elcto inter epulas genero, Gyptin filiam tradere parabat: eò inuitati Græci hospites: cûmque introducta puella, iuberetur in eum peluim aduertere, quem præ omnibus in virum eligeret; illa, quis credat ! omissis popularibus suis, ad hospites Græcos [d] conuersa, nec diu cunctata, Perano (quippe in eius vultu cum virtute, amoris blanditiæ legebantur) aquam humanissimè porrigit. Itaque in generum consensu cæterorum ab Regé, ex hospite ascitus est. Tantùm Gallicæ genti ea Phocensium societas profuit contulitque, vt ad vsum cultioris vitæ, depositâ illicò barbarie traducta, legibus non armis viuere, agrum colere, se-

Plutarch. Iust. ibid. Horat. Epod.

rete oleam, cingere mœnibus [e] oppida didicerit. Sed eam exulum felicitatem, vt *est assidua eminentis fortunæ comes inuidia, altissimisque adhæret*, in ipso ortu excutere Comanus Nanni successor, incitatus scilicet suorum liuore ac querelis, qui exitio finitimis populis futuram mox vrbem ac gentem affirmabant, frustra conatus est. Nec mixtum ex vicinis vndique ciuitatibus bellum, Caramando partium fœderatarum Duce, nascétem adhuc Massiliam opprimere potuit; quasi tot aduersis, tot hostium incursionibus assurgeret strenua gens, in tantam breui magnitudinem ac potentiam excreuit, vt fusis terrâ marique hostibus, ipsis etiam Carthaginiensibus, oræ maritimæ longè latéque imperaret. Quin sponte mox cum eá ciuitate coalescentibus Gallis, tantus & hominibus, & rebus Galliarum impositus est nitor, vt etiam florentibus in Gallico-græculâ ciuitate literis, non Græcia in Galliam, sed Gallia in Græciam translata videretur: Disciplinis omnique genere eruditionis floruit adeò, vt & ciues Trilingues, quippe qui Græco, Latino, Gallicoque sermone loquerentur, ciuitas Athenopolis, siue Athenæ Gallicæ dicerentur. [f] Ea disciplina, ea grauitas, sic consilio optimatum suorum, quos vulgo Timuchos appellabant, regebatur: vt eius instituta facilius laudare possent cæteræ vrbes, quàm æmulari. Sic positis fixisque, eo quo diximus modo in Gallia sedibus, Phocenses, amissâ patriâ feliciter consederunt: Agathen, Taurentum, Antipolim, Nicæam, Aphrodisium, aliasque passim Colonias variis ex successu rerum temporibus, constituentes. Sed nimis forsan ad Massiliam hæremus diu. Tùm Galli è finibus emergentes suis, varias vicissim orbis gentes armis ac victoriis perlustrarunt: ne Græcis ad se transeuntibus, ipsi desides in patrio solo viderentur.

Paterc. l. 1.

Isid. l. 1. c. 15 Plin. l 2. c. 5. Strab. l 4. Cic. pro Flac.

CAPVT SEPTIMVM.

Bellum Germanicum primum.

A. M. 3388. PRima [a] Gallorum arma, quibus exteros impetiuerunt, in finitimos Germanos vno duntaxat amne diuulsos, gesta sunt: magnamque gentis bello strenuæ opinionem Barbaris, ac deinde Romanis concitarunt. Tarquinio igitur Prisco Romanorum rege, feraciſſima gens, cùm se suis antea finibus continuisset, ex angustiis finium, [b] & incolarum multitudine abundanti, subinde exortis [c] inter se contentionibus, bella externa, quibus domestica componerentur, quæsiit: ac in diuersas orbis terrarum partes effudit sese. Erat per id temporis, iustitiæ imprimis studio eximius Gallorum Rex Ambigatus, Biturigum (penes quos summa imperij diu fuit) factione, ob singularem prudentiam, virtutisque opinionem maximam, genti vniuersæ præpositus. Is quò superfluis quasi humoribus, Regni sui corpus exoneraret; neve mutuis vltrà vulneribus ciues decertarent; immanem Gallicæ iuuentutis turbam, ad quærendas nouas sedes, velut peregrinantem misit. Ferunt trecenta & amplius hominum millia stetisse in armis. Hoc iuuenum examine, Germania, Italia, Græcia, Macedonia, Illyricum, Thracia, Asiæ aliquot regiones, Hispania, Britanniaque, occupatæ sunt. Horum portio Belloueso copiarũ Duce clariſſimo, cùm Alpium inuicta iuga & frigore intractabilia loca, Arunte quodam Tusco, & Hebicone Heluetio ducibus itinerum transcendisset, in feraciſſimis Italiæ agris consedit, Romamque ipsam, vt mox ostendemus, interiectis aliquot annis succendit: cæteri verò Sigoueſi Ducis vexilla sequuti sunt, & in Germaniam profecti. Eâ tẽpestate, continua erat Gallorum Germanorumque pro armorum gloria & finibus imperij contentio; vario belli euentu, victoriâ vtrique genti viciſſim inclinante: quanquam Germanos à Gallis virtute supe-

Iust. l. 20. Liu. l. 5.

Strab. l. 4.

Liu. l. 5.

Iust. l. 24. Zon. to. 2.

Plin. l. 12. c. 1.

ratos, quibus nimirum bella vltro intulerint, ac missis trans Rhenum Coloniis leges imposuerint, apertè scriptores clarissimi videantur insinuare. Germani vt se finesque suos peti intellexere, factâ in hostes gentis coniuratione, [d] Hercynios saltus, quâ Gallis iter erat, copiis ingentibus circumsident. Sed ferro & flammâ passim omnia populantes, ac torrentium instar obuia quæque transcendêtes Gallos, nulla hostium vis sistere poterat. Tanto quippe impetu Germanos inuaserant terruerantque, vt disiectis ordinibus, interiora regionum, quasi effractâ ianuâ, versisque obicibus, per hostium strages effusi Galli penetrarent. Testes victoriarum prouinciæ à victoribus Gallis appellatæ, [e] Bohemia, Bauaria, VVestphalia, aliæque. Eò Tectosages & Boij, gentis suæ diuersis temporibus colonias deduxere, & Heluetij Gallorum fortissimi eo tempore, inter Rhenum ac Mænum amnes Hercyniamque syluam consedere. Pannoniam Illyricum, & Dardaniam vsque prouecti Galli, rerum gestarum monumenta erexere tam insigniter, vt ipsis montibus, vrbibus, populis, regionibus, Gallicæ voces imponerentur. Nam & Galata, Galembergaque in Pannonia montes, à Gallis huius gentis domitoribus nomen sortiti sunt.

Cæs. l. 6. Tac. de mor. Germ.

Cæs. l. 6. de bel. Gall

Tac ib. Cæs. l. 1. Plin. l. 4. Pausan. in Phocecis.

CAPVT OCTAVVM.

Gallorum in diuersas orbis partes irruptio.

SIc diuersis itineribus ac expeditionibus sedes quæritans, tanta vis Gallicæ iuuentutis, vbique locorum felix, vno velut belli impetu, tot gentes, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas regiones, tam citò occupauit. Italiam prope omnem, [a] pulsis Liguribus & Etruscis, qui primi omnium, quod memoriæ proditum sit, regionem illam tenuere, quâ longe ab Alpibus ad sinus Illyricos, Padi ostia, ipsamque Anconam, Picenũ olim, & inde per Romanũ penè agrum Tusciam versus,

Iust. l. 20. Polyb. l. 2. Strab. l. 4.

longo flexu, à maris supero ad inferum siue Thyrrhenum excurrit. Cenomannis, Boijs, Venetis, Orobijs, Senonibus; & omniũ in Italia quondam gentium validissimis Insubribus, in Principem orbis regionem effusis. Germaniæ ingentem tractum, à Rheno, qui vtriusque gentis medius limes erat, ad Vistulæ vsque fontes, vlteriora etiam, vt ferè fit, captatis temporum occasionibus subeuntes, insedere. Alij insuper in Britanniam vltra mundi fines, classe inuecti, breuissimo freto à continenti quasi auulsam insulam, pari facilitate ac felicitate tenuerunt. Quo ferè tractu temporis, superatis Pyrenæis, Hispaniæ maritimam oram, alia insuper gentis portio tenuit: ac eam potissimum quæ mixtis [b] adfinitatibus & cómeatibus Celtiberia, quæ Hispaniæ robur, appellatur. Sic mutatis occupatisque bello sedibus, cùm Gallica gens iuuentutis suæ multitudine quasi exonerata liberior & opulentior vltrò quiesceret: cæteri rebus partis tranquillè fruerentur; nam *facile est otium seruare victoribus, si aut victi sponte subsunt, aut resiliendi ab iugo imposito licentia per extinctas vires nulla relicta est*, Gallica arma domi foriſque diu quieuerunt: nihil turbidum, nihil discors, cùm neque luxuriæ quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstaret; sed [c] pari rerum omnium consensu affectuque, quæ demum firma amicitia est, victores victique cohærerent. Tandem, vt *est innata Gallis animi mobilitas, & quietis haud patiens iuuentus*, tædio otij, ad bellum finitimis inferendum primò pro gloria, mox pro imperij propagatione accenditur: certo iam orbis documento, omnes ferè Gallos [d] nouis rebus studere, & ad bellum mobiliter celeriterque excitari.

Tac. in vit. Agri.

Diod. Sic l 6. c. 9.

f.

CAPVT NONVM.

Bellum Romanum primum.

PRimi in armis visi sunt, [a] qui superatis, vt dictum est, albicantibus perpetuâ niue Alpium

ingis, in Italiâ ad Padi vtramque ripam, quo amne prope medio Cisalpina (vt vocant) Gallia irrigatur, consederant. Auctâ igitur per cc. ab primo in Italiam aduentu annos, suæ gentis iuuentute; tot enim annis antequàm vrbem Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt, inde emergentes terrorem latè circumferunt. Primum bellorum facinus in Tuscia. cuius regionis oppida aliquot facilè expugnant, nec dubiũ erat venturos Romam Gallos, reliquamque infesturos Italiam, si Tuscis victis & imperio adiectis, quasi euerso Romanorum aggere, liber vltra patuisset aditus ferocibus. Iamque admoto ad Clusium oppidum exercitu, Brennus Gallorum dux, totam vndique regionem terruerat; cùm missis ad hostes Romanorum legatis, oppidani de soluendâ obsidione agitant. Negante Brenno, eamque *vnam pacis ineundæ rationem esse, vt inferiores subessent parerentque fortioribus*, patriâ ferociâ respondente: Sic Romanis vsu venisse, qui finitimis suis eas leges imposuerant; Quos verò homines Romanos esse? nempe Pastores, qui latrocinio iustis dominis ademptum solum teneant: Fabij (ij Romanorum legati erant) oppidum ingressi tueri armis statuerunt. Mox factâ ab vrbe eruptione, Gallos graui clade afficiunt. Atque vt Romæ breui expugnandæ occasio præberetur, velut fato [b], quod ineuitabile est, exitium tantæ vrbis cõponente; ab Fabio Ambusto Legato, quem nihil extra legationis [c] munus agere fas est, contra ius gentium pugnante, Gallus nobilis interficitur. Brennus indignatus, cædis vindictam à Romanis quærendam esse, suis copiis edixit. Itaque dimisso oppido, cùm prope iam esset, vt vi caperetur, si Galli leuiter nixi forent, Romam magnis itineribus pergunt: Præmisso tamen qui dedi sibi legatum ab senatu postularent. Terruit ea res Romanos: Senatus, siue rei indignitate, siue præsentis periculi metu consternatus, tradendum Fabium censebat: vicit tamen plebs, [d] Fabiorum nobilitate commota: creatisque in sequentem annum Tribunis Fabiis, factum probare visa est. ac ne Romani incauti ab irato hoste opprimerentur,

A. M. 3614. *Liuius lib.* 5 *Plut in Camillo. Iust. l.* 43. *Zon. to.* 2. *Flo l* 1. *c.* 13.

[a] *Iust. l.* 28.

A. V. c. 364.

eductis XL. circiter armatorum millibus, ad decí-
l. V. mum ab vrbe milliare castra posuerunt. Ad Aliæ
365. Tibridisque confluentem, Galli constiterant, multitudine, vsu militari, fiduciâque suæ causæ longè superiores. Tumultuarij Romanorũ milites, Galli longâ iam bellorum experientiâ fortes. Itaque *facilè commisso prælio incondita & incomposita* [e] *agmina ab ordinatis & instructis profligantur*. Cæsorum ingens numerus, flumine submersorum infinitus: qui cladem effugerant, *Veios* primùm, mox Romam inermes profugiunt. quæ Romanorum consternatio fuerit eo tempore, præter cætera, argumento est omnium diuersa fuga, *publicâ salute* quod in re simili accidere solet, [f] *abiectâ, omnes priuatim quisque suæ consulebant*, eò vel tunc prolapsi mores erant, vti suo quàm reipublicæ malo plures mouerentur. Seruauit eo die imperium Romanorum Fortuna, Gallorumque supina per triduum negligentia, [g] vt occupandæ Romæ mentem non habuisse crederes, qui fortunam habuissent. Tantus victorum mentibus iniectus post victoriam stupor, vt tanto interuallo, in ipsius Romæ conspectu, non de inuadendâ vrbe confirmandâque victoriâ cogitasse, sed colligendi animi spatium victis concessisse facilè credas quò vincerent. [h] *Nimirum ijs Deus & sua fors mentem velut euertere, & consilia solet quos affligere vult: nec vlla est imminentis mox cladis nota certior quã nimia felicitas.*

Gaischard.

CAPVT DECIMVM.

Roma à Gallis capta.

IGitur importata in Capitolium arma & commeatus: datumque Romanis otium quo se seruarent, qui vnâ clade perierant. Romam promotæ copiæ, cùm apertam vacuamque custodibus aduerterent, insidiarum metu, hæsere diu: nulli enim in muris turribusque se armati ostendebant: dubitatum, deseruissent vrbem incolæ, an fraude se occulerent: mox captâ sensim fiduciâ, vbi solitudinem

Cart. l. 9 c. 1

vident (nam iuuentus Capitolium Duce Manlio, qui ob id Capitolinus est dictus, insederat) ingrediuntur. Ferunt Senatores ferè centum in vestibulis domorum sedentes in purpurâ, vt in fortunæ pristinæ honorumque, aut virtutis insignibus morerentur, à Gallis primùm habitos tanquam Deos: mox vbi homines esse constitit per M. Papyrium, qui Gallo barbam suam permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram mouerat, trucidatos. Tum expilata incensáque vrbs, obsessa Capitolina arx, vt ad deditionem fame compellerentur, quibus ferrum nihil nocuerat.

CAPVT VNDECIMVM.

Galli à Camillo fugati.

CReatus, vt volunt qui insignem Romanorum ignominiam Gallorum clade nituntur detergere, ab fugitiuis Romanis Camillus Dictator, tunc apud Ardeam Rutulorum vrbem exul: tanta calamitatum necessitas fuit, vt cui patriâ interdixerant, eum ad tutelam pereuntis patriæ assumerent. Is prostratam & collapsam penè Romanam Rempublicam, consilio, virtute, manu, patriam acceptæ iniuriæ præferens, erexit. Nam cum delectâ manu iuuentutis, collectisque recentis adhuc naufragij reliquijs, deiectos semel ac iterum Gallos è capitolio, quanquam compositis cum obsessis rebus, post septimum obsidionis mensem, vt pactâ pecuniâ se redimerent, obortâ inter ponderandum aurum lite adortus est: interceptosque tantâ strage cecidisse ferunt, a vt recepto auro, Gallici sanguinis inundatione, Romanum incendium extingueret, sublatâque quasi fœdæ captiuitatis infamiâ, vix superesset è tantis copiis, qui fusos acie Romanos, captam vrbem, obsessum Capitolium, venditam auro libertatem inter suos prædicare posset. Ac eam quidem gloriam famamque hoc facto Camillus publicè adeptus est; vt non *Seruator* modò, sed *Conditor* Romanæ ciuitatis, pari cum parente

vrbis Romulo gloriâ, ex SC. vocaretur. [b] Sic facile fuit Romanis Scriptoribus, rerum suarum monumentis ea figmenta inferere, quibus accepta tanta strages, quanta nulla vnquam ab vrbe condita, lateret extincta. Sed vltrò se prodit è latebris veritas, Græcorum aliorumque scriptis consignata, nec Ætoli quondam Romanam legationem aliis excepere verbis quàm meminissent Romani, qui quibus minitentur: aduersus Gallos vrbem eos suam tueri non potuisse, captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse: Italiamque trepidis ex recenti vrbis suæ incendio Romanis, vniuersam fermè à Gallis occupatam. Sed illud demus quod iam pridem vsus videtur obtinuisse. Fabio simul primùm magistratu abiit, quòd legatus in Gallos contra ius gentium pugnasset, dies dicta est: cui iudicio eum mors adeò opportuna, vt voluntariam magna pars crederet, subtraxit.

Iust. l. 28.

A V. C. ccc. LXVI.

CAPVT DVODECIMVM.

Gallorum & Romanorum mutua odia.

HOc velut tot insequentium bellorum initium ac fundamentum fuit, Romæ primùm conflagratione, & Gallorum extremâ internecione stabilitum ac positum: sic quasi volentibus fatis, vt in posterum vtraque gens vindictâ dedecoris sui, & infamiæ stimulis mutuò incitata, maiori pertinaciâ contenderet: nec vno aut altero bello finiretur odium, sed nouam armis ministrãte materiem Fortunâ, *Bellum ex victoria nasceretur*: ac crescente in mutuas clades iuuentute per octingentos annos, de imperio certaret. Et quanquam sæpius penes Romanos staret victoria, quibus scilicet [a] *Virtus* ac *Fortuna* orbis imperium, gentis Gallicæ exitio comparabant; nullius tamen alterius nationis armis æquè terrebantur: iisque eò formidabiles visi sunt Galli, vt lege sancitum haberent, ne vacationes à militia, quæ Sacerdotibus, ac senibus permittebantur, tumultu Gallico vale-

Curt. l. 7. c. 8. Liu. l. 8 App. l. 2. bel. ciu. Sall. Iug. Tac. in Agr. vit.

rent, quantùm igitur consternationis bello ingruente? Ita enim statuerant, alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloriâ certandum. Cuius virtutis iactura non acceptis per tot bella cladibus, sed amissæ libertati referenda est; *Segnitia cum otio intrante, nam cum seruitutis iugo inijcitur animi stupor,* [b] *quem nisi recuperatâ libertate excutere vix possis.*

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

Bellum Romanum secundum.

IGitur tricesimo circiter ab euersâ primum Româ anno, pudore superioris acceptæ à Camillo cladis & vindictæ cupiditate incitati Galli, Romanos iterum adoriuntur. In hos Camillus quintùm dictator creatus, quanquam ætate iam proiectus, mouit copias, docuitque cùm vix firmis vestigiis insisteret, [a] *Caput potius quàm pedes imperare*: namque is [b] consilio magis quam manu, nutantem Rempublicam confirmauit. Iamque ad vrbem Albam Ascanij Æneæ filij, vt credunt, opus progressi Galli; ingenti tumultu Romanos terruerant; cùm Camillus Dictator suos ad Reipublicæ defensionem & communis Patriæ præsidiũ adhortatus, non pro finibus aut libertate, quam cæteris rebus potiorem haberent, agi, sed vtra gens orbi imperitaret, eo bello decerni proposuit. Tanto vtrinque impetu, tantâ vi prælium commissum est, vt anceps diu Mars victoriam distinuerit. Ex partium contumaciâ ingens cædes; poterantque Galli vincere, sed Romanorum arte ac prudentiâ Camilli, quæsita victoria est. Aderant Gallis, cædendis sternendisque corporibus idonei enses: huic periculo ab callido Dictatore occursum est. Induit enim læuigatis galeis suorum capita, vt in lubrico ictus caderet irritus. Tandem inclinante Romanis fortunâ, Galli fusi ac profligati, in Appuliam, dissipatis agminibus concessere.

Liuius l. 6. Poly. l. 2. Plut. in Cam. Aurel. vict.

A. V. C. CCC. LXXX. VII.

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

Bellum Romanum tertium.

VIIx interiecto ſexennio, diripiendæ imprimis vrbis auidi Galli, ad Anienem fluuium caſtra metati ſunt. Romani hoſtium pertinaciâ ſubitoque aduentu turbati, iuſtitio indicto, publiciſque ſupplicationibus ad Deos, quod non niſi in ſummâ rerum conflagratione fieri ſolet, expeditam iuuentutem, ſacramẽto priùs more militari adactam, in hoſtem duxere: facilè ſine dubio, & pondere multitudinis, & alacritate virtutis perturbatam ciuitatem occupaturi erant Galli, niſi otio & lentitudine ſui torpuiſſent. Diu ad pontem quo fluuius committebatur, pugnatum eſt: magnum ad victoriam momentum futurum, ſi teneretur. Romani tandem præualuerunt; vt vel hîc maioris victoriæ antelucana quædam felicitas noſceretur. Nec prætereunda T. Manlij ſtrenui iuuenis virtus, [a] *quippe ea vel in hoſte laudari debet.* Hic prouocantem ferociter Gallum equitem, ſi quis viritim dimicare vellet petitâ priùs ab *T. Q.* Penno Dictatore pugnæ poteſtate, [b] (*neque enim tum ſine imperio fas erat decertare*) ſtrauit inſigniter: detractoque torque, & adImperatoris pedes delato receptoque, illuſtre Torquati agnomen, à virtutis & victoriæ memoriâ, ſibi & poſteris ſuis adeptus eſt. Id Galli omen malorum accepere: ac futuræ mox cladis (vt *ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel militum mentes*) commilitonis caſum adſimilantes: non de pugnâ, ſed de fugâ cogitare occipiunt. Nec fugientes hoſtes Romani inſequuti ſunt; abſceſſum [c] Gallorum, quippe qui contra inueteratum [d] gentis morem euenerat, pro inſigni triumpho numerantes: rati nimirum non tam cruore, quàm fugâ & deſperatione hoſtium emi victoriam; nec ſolâ clade conſtare, niſi continentia moderatioque victoris acceſſerint,

A.V. C cccc. IV. Liu. 7. Eutr. l. 2.

Tac. l. 1.

quæ in altissimâ quâque fortunâ eminentia bona sunt.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Bellum Sociale primum in Romanos.

VErùm vt continentibus præliis inuictæ gentes inter se luctarentur, nec longo Pacis otio bellicæ vires vtrimque frangerentur ; nullâ penè tumultus causâ obortâ, per Romanos iterata hostium clade superbientes , turbatumest. Igitur elapso vix anno, Tyburtes finitimos, quòd Gallos à clade seruatos perhumanè excepissent, hostili animo Romani inuadunt. Vnicum miserorum perfugium ad eos,quorum causâ vexabantur, fuit. Haud vulgaris Gallorum ira indignatioque; quòd per Sociorum fortunas peti se aduerterent. Igitur reuersi copias vrbi admouent : cunctaque se ferro ignique vastaturos profitentur. Nec dubia erat vrbi pernicies , si hostem iniuria accensum & furentem Romani expectassent. Tum consternati ciues properanti reipublicæ excidio,ni præsentibus remediis caueretur,necdum obliti recentis direptionis, quâ ad orci fauces redacta Roma fuerat, Q. Seruilio Halæ Dictatori, se suaque omnia, communemque Patriam in tanto periculo commendant. Is T. Quinctio equitum magistro nominato, optimè sperare iussit, armis accingi iuuentutem imperat ; armis petitam, tuendam armis Rempublicam:haud defuturos virtuti Romanæ Deos,qui caput gentium fore Romam,tot oraculis ac signis prædixissent.Eductis vtrinque copiis ; dispositis in ordinem legionibus , in conspectu vrbis, haud procul portâ Collinâ , diuersis incitati rationibus, Galli Romanique decertabant. a Hos Patriæ charitas,suorum salus;illos vindictæ amor,prædæ spes stimulabant , magna vtrinque hortamenta animi ac virtutis. Pugna contumax & cruenta, nam res cominus gerebatur : incertum diu , cui

A. C. V. CCC. XCV.

parti victoriam fortuna assignaret. Tumultu Roma, quippe quæ propior periculo erat, secundum ab hoste incendium; nam maximo amori maximus timor iunctus est: sed missis identidem ab vrbe recentibus copiis, fatigati longo prælio Galli, tandem ab expeditis profligantur. Fugientes Gallos, Tyburtes fœderati, egressi in armis seruauere iterum. Victor Romanus, tanto hoste exacto liber, ad suos est reuersus. Nec diu cessatum à bello, ardescentibus paulatim Gallorum in Romanos victores odiis. Initâ igitur cum Hetruscis belli societate, de extinguendo Romanorum imperio coniurant. Sed furorem vtriusque populi grauissimâ strage compescuit Dictator Petilius. Magnitudo cladis in captiuorum numero facilè agnosci potest: Tuscorum millia sex in vinculis, cæsorum ingens numerus. Sic quartò de Gallis insigniter triumphatum est Romæ. Vtilis tum maximè Romanis fuit Gallorum aduentus: nam metu belli externi, domestica inter Patres ac vrbem seditio compressa est.

Mamer Iuliano.

A. V. C CCC. XCVI.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bellum Romanum quartum.

HIs quasi Fortunæ experimentis, crescebat in immensum Romana virtus: visaque tot prosperis armorum successibus, quibus ad maximam imperij molem Respublica quasi struebatur, prima satis expiata calamitas tot continentibus hostium damnis. *Atque [a] vt est humanus animus insatiabilis eo quod fortuna spondet, ad altiora & non concessa tendere: & maxima facile sperantur, vbi aliqua præter spem euenerunt; ac suaue est ad excelsa incentiuum felicitas*; tum demum imperaturam se orbi credidit, dum gentis æmulæ & diu potentioris impetus, in irritum cessit. Galli quantò crebrioribus cladibus pulsati, tantò magis eniti, vt accepta damna reponerent. Nec segniùs Romani rebus suis

Liu. 4. Dec. 1.

præcauere; gnari nimirum Gallicæ consuetudinis: quippe *Galli vbi occasio rei commodè gerendæ affulsisset, eâ quam primùm vti consueuerant.* Nec fefellit coniectura incautos. Nam reparatâ ex tot nuper cladibus virtute, vt nulla Romanis esset quies, sed continentibus præliis tenerentur, ineunte primo vere, Galli cum ingentibus copiis Romani agri fines euastant. C. Fabio, & C. Plautio Coss. Dictatorem dici C. Sulpitium placuit. Is, relictâ ad custodiam ciuitatis exercitus parte, ne præsidiis destitutam hostes vno impetu inuaderent, ire obuiam discrimini statuit, contractisque legionum vexillis, cum expeditâ iuuentute in Gallos aciem direxit; ipse [b] ante agmen, quò cæteris par animus [c] simili periculo esset, progressus, suorum animos haud parum erexit. Compositiùs tamen agendum ratus, feruorem hostis [d] cunctatione restinxit. Nam quia in æquum digredi tutò, cum tantâ præsertim multitudine, periculosum ducebat, castris locũ idoneum delegit; firmatoque aditu, [e] impetus Gallorum facilè repressit. Irruentes situs ipse loci, ac firmitas aggerum repellebat: nec quicquam incondito [f] clamore insilientes in sæptos ingentibus fossis Romanos Galli profecere, funduntur ruentibus ex vallo telorum nimbis. Iamque territis irruunt dimissæ à Consule legiones, perque cæsorum aceruos, fugientes insequuntur: per tracta ad multam noctem cædes; miserique exercitus reliquias tenebræ in vicinis collibus seruauerunt. Castra direpta sunt: præda ingens facta Romamque abacta. Tantâ imperatoris laude victoria parta est, vt præter Triumphum decretum, Sulpicius superiorum Consulum ac Dictatorum famam excessisse, nec alius post M. Furium Camillum, iustiorem de Gallis triumphum egisse diceretur. Ac tali quidem Duce tùm opus fuit, qui furori hostium prudentiam, audaciæ murum & aggerem, temeritati industriam callidè opponeret, animis magis quàm viribus fretus. Nec ita multò post eâdem propè, quâ ab Sulpicio Dictatore arte, à M. Popillio Consule profligati sunt.

Liu. l. 7.

A. V. C. ccc. xcvii.

A. V. C. cdv.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Bellum Romanum quintum.

A. V. C CDV. SED feroces animos pudor recenti ignominiâ accensus vehementer incitabat: susceptamque tot bellis maculam deleri, nisi Romanorum sanguine haud posse vnquam rati, bellum generosius reparant, nec minori tamen quàm sub Camillo primum clade: quippe Romanorum fata per Furium Camillum filium deleri iterum hostes decreuerant, vt Camilli nomen Gallis fatale diceretur. Atque vt Belli grauissimi tantâ felicitate confecti gloria Romanis tota cederet, & in huius laudis societatem, nulla se gens includere iure posset: Latinorum sperata auxilia defuere. Igitur armati quibus ætas militiæ idonea erat, vocati insuper ab agris ad signa rustici, vt tumultuario magis, quam exercitato milite Romanorum acies constaret. In agro Pomptino pugna commissa est. Iamque in procinctu prælij ad teli iactum vterque stabat exercitus, [a] cùm in primos Romanorum ordines Gallus incitato calcaribus equo aduolans, Romanum equitem ad singularem pugnam, velut in Belli præludium ferociter deposcit; ratus nimirum hoc duello, superiorem ab Torquato labem expiatum iri. Nec detrectauit certamen Romanus, ne hostis ferociæ virtus Romana cessisse putaretur: crederes imperatum, vt acies vtræque tela cohiberent. Igitur dato libero spatio, [b] stante hinc inde exercitu, & ad fortunæ euentum sollicitè erecto, fortissimi viri vtriusque gentis sortem animo ac manu velut gerentes depugnarunt: ac ne fine aliquo prodigio abiret pugna, pugnanti Gallo superuolitauit Coruus, fœda auis, haud dubio cladis auspicio, oculos idem rostro, alis, vnguibus impetens. Nec abscessit sonitu armorum aut fulgore territa: donec valido ictu à Romano Gallus sterneretur, hinc M. Valerio victori ex casu Coruino

A. V. C CDVI.

A V. CDVI.

agnomen fuit, quod tantò fuit victori honestius, quòd virtute partum sibi vindicauerat. Ea vnius pernicies maioris prænuncia extitit calamitatis. Nam vt ingens alacritas ac fiducia, paulò ante dubios ac territos Romanos ad pugnam accendit, sic Gallorum animos subita inuasit desperatio. Itaque haud diu sustentato Romanorum impetu fugam faciunt. *Nec difficilis de attonitis prodigio hostibus victoria.* Acciscæ tot cladibus Gallorum vires, quanquam immortali odio Romanum nomen prosequerentur, ac sumendæ imprimis vindictæ cupiditate flagrarent; tamen impares viribus abstinuere. *Durum ferocibus, & tantò acerbius otium, quod ab inuitis exprimitur.* [c] *Sed leuius fit patientiâ quicquid nefas est homini corrigere.* Galli per Volscos Falernũque agrũ dissipati primùm: inde Apuliam petierunt, postremò in mare inferum ac naues cõpulsi sunt. Romani interim, insignibus clari victoriis, & fugatis toties Gallis, Orbi iam formidabiles, imperij potentissimi ea statuebant fundamenta, quæ coniuratus orbis non tantùm non euerteret, vt nec succuteret quidem.

Horat. Od. 1.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Gallorum ferocia.

HOc ferè tractu temporum Alexander Philippi Filius, rerum præclarè bello gestarum gloriâ Magnus appellatus, Macedonum gentem destructo Persarum imperio, eò honoris ac dignitatis prouexit, quò altiùs attolli nisi per eum solum non poterat. Sed immaturo fato ex rebus humanis sublatus, tantæ tamque breui dominationi finem imposuit, qui principium attulerat. Hunc victo exutoque Dario, Gallos milites quondam per iocum interrogasse ferunt, quidnam illi maximè timerent: tum illi ferociter, id imprimis reformidare ne a cœlum in se rueret, prætereâ nihil, respondere: quam vocem inuictæ cuiusdam

Strab. l. 7.

generositatis testem nonnulli etiam [b] Francis tribuerunt. quò miror magis ferociſſimam vocem & Gallicæ virtutis indicem, à nonnulis Gentis inuictæ inuidis Germanis ascribi adfingique militibus; quos armis victos ac debellatos nuper ab Gallis constabat.

Curt. Suppl.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Sociale secundum in Romanos.

QVinquaginta deinde ferè annorum quies fuit: exorto tamen identidem tumultu, ob belli Gallici famam, haud vnquam fermè Patribus neglectam: vt extemplò Coss. noui Dictatoresque (quod non nisi trepidis in rebus fieri consueuerat) crearentur: haberetur delectus sine vlla vacationis veniâ, vt opificum quoque vulgus minimè militiæ idoneum genus scriberetur. His exactis, vt [a] *susceptæ semel ex æmulatione odia, si longâ iam vetustate inoleuerint, ægrè deponuntur*; Gallorum in Romanos inimicitiæ, tot velut cladium flabellis accensæ, vehementiùs quam antea exarserunt; nec spes incendendæ iterum vrbis penitus euanuerat: quóque facilius votis potirentur, vlturi parentum manes posteri, ascitis in societatem belli Samnitibus, Tuscis, Vmbrisque, Romanæ potentiæ, tantò magis inuidis, quò periculo propiores erant, grauissimum bellum conflauerunt. Igitur infestis armis, contractisque vndique copiis, in fines Romanorum irrrupere, ac populationibus effusè factis, concisâque penitus ex occursu ad Clusium legione, terrorem latè circumferunt. Erant eo tempore Romæ Consules. Q. Fabius & P. Decius. hi euocatis legionibus aciem in Gallos instruunt bipartito exercitu, quo vires hostium distraherentur: missi etiam cum Posthumio expediti equites, qui Tuscorum Vmbrorumque agros vastarent, quò illi sua seruaturi illico verterentur, & tota belli moles Gallorum ceruicibus incumberet. Auulsis in hunc modum ab Gallorum societate Tuscis,

Liu. l. 8 & 9.

A. V. C. CDLVI.

A. V. CDLVII.

Tuscis, cum ad teli iactum hostes processissent, dato vtrinque signo pugna initur atrox, dubiâ diu victoriâ, vtrisque strenuè certantibus. Fabius Rullianus is qui primus ex ea familia ob virtutem Maximus est appellatus, primam Gallorum aciem facto à suis impetu fundit; sed vicissim Decij cornu nutabat: ianique in proximo erat vt sterneretur, cum paternæ virtutis ac laudis æmulator Decius (*vt rapitur ad similitudinem suorum, excellens quæque natura.*) Diis manibus [b] se pro publicâ salute deuouens, in confertissimos hostium ordines irruit, ac vitæ [c] impendio aciem restaurat. Tùm vero multùm sanguinis effusum est: nam coninus pugna conferebatur, nullo non inpigrè gladium stringente. Galli ignari ab altero Consule fusos socios, victoriæ spem conceperant maximam, cogitantibus de fugâ Romanis; cùm redeunte à tergo Fabio, circumfusi à multitudine inter duas hostium acies opprimuntur. Quàm funesta & cruenta illa dies Gallis extiterit, cæsa fœderatorum amplius XXV. millia testantur, capta VIII. nec sine victoris populi clade; quippe Romanorum nouem millia desiderata sunt. Gallorum spolia Fabius Ioui victori cremauit. Decij corpus obrutum superstratis cæsorum cumulis, postridie inuentum Romam delatum magnifico funere curatum est.

Nazar. Const.

CAPVT VICESIMVM.

Bellum Romanum sextum.

EXtinctus eâ strage Gallorum ardor videbatur, sed breui maioribus flammis recaluit, magnâ Romanorùm strage; vt leui fortunæ successu sumptis animis, quasi ministratâ Bellorum materiâ, in Romanorum experimentum inuictæ gentis virtus aleretur. Effluxerat à superiori clade annus ferè vndecimus, cùm velut excusso tanti temporis veterno, ad arma itum est. Itaque in Etruriam profecti Galli, Aretium obsident; Aretí-

Polyb. l. 2. A V. CCI. XLIX.

nis opem Romani ferentes, non longè ab vrbis conſpectu dimicarunt. L. Cæcilius quem alij Conſulem, Prætorem nonnulli faciunt. maiori fiduciâ quàm virtute [a] temerè Gallos aggreſſus; ab confertis circumuenitur. Galli toties fuſi ac proſtrati à Romanis, acceptas iniurias vno velut impetu vlturi, Cæſo Duce, cæteros ferro obtruncant; paucis vincula iniiciuntur, quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. XV. circiter Romanorum millia periere cælis cum Conſule, militum Tribunis ſeptem. Sed citò feroces compeſcuit Marcus Curius; ac eò quidem acerbiùs, quòd Galli iure gentium violato, legatos populi Romani pro redimendis captiuis miſſos, cùm eos ferociter repeterent, interfecerant. Nec bellum expectari ab elatis ſuperioris pugnæ ſucceſſu, ſed inferri oportere incautis cenſuit, vt *Bellum vitando ſæpe alimus; & quod inferre poſſumus, accipere cogimur.* Itaque primus Romanorũ Curius Galliam ingreſſus Ciſalpinam cum validiſſimo exercitu, eâ felicitate rem geſſit, vt occupatis in Italia ſedibus, aut omnino, aut ex parte ſpoliati, eò vnde quondam profecti fuerant, remigrare Galli cogerentur. Documento gentium *maioriplerumque ſucceſſu in hoſtili ſolo quam in ſuo bellum geri.* Tam breui tempore, Romanorum ceruicibus grauiſſima gens ſummota, anxiâ curiâ & [b] continenti metu Rempublicam liberauit. Senas deducta colonia eſt: eam vrbem Senones Galli condiderant, regionique Senogalliæ nomen indiderant. Boios & Tuſcos eadem tempeſtas obruit, tentata priùs tamen fortuna belli eſt. Sed cùm [c] ſuo more, incondito agmine, legiones Romanas militari diſciplinâ præcipuas, Galli temere adorti eſſent, à P. Cornelio Dolobella, ad Vadimonis lacum in Etruriæ finibus, penitus deleti ſunt. Neque verò hîc Romanorum ſtetiſſet fortuna, ſed eâ victoriâ omnino debellatum foret, nî à Pyrrho iam tertiùm annum Italiam ingreſſo, initâ cum Samnitibus aliiſque ſocietate, metus grauior Rempublicam terruiſſet.

Curt. l. 7.

A. V. C. CDLXIX.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Bellum Macedonicum primum.

NEc feliciùs circa ea tempora ante quinquennium, res à Gallis gerebantur in Græcia, quanquam communi Gentis fato, plena felicitatis initia bellorum viderentur. Illi igitur, vt supra demonstrauimus, Germaniam ingenti celeritate percurrerant, nec tam suis cursibus, quàm victoriis perlustrauerant: cùm in Græciam à Pannoniis se bellorum turbo deflexit. Itaque ne circa vnius duntaxat gentis agros hærerent, dimissâque maximarum rerum [a] opportunitate segnes, comparato vno excursionis impetu otio vterentur: Alexandri M. Sobolem, sed quantùm ab eo viro degenerem, in ipsâ Macedonia adoriuntur, post ccc. à relictâ primùm patriâ annum, Brenno Belgioque præcipuis Ducibus: quos cùm *propagãdi latiùs imperij innata viris magnis* [b] *cupiditas*, tum vindicta Deorum, in Ptolomæum Macedonum Regem tot periuriis cruentisque parricidiis inuisum omnibus impulerunt. Itaque cum domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gessissent; hortãte successu, diuisis agminibus, Græciã Macedoniãque omnia ferro ignique proterẽtes petiuere: cúmque [c] pactâ mercede cæteri passim Reges ac principes bellum redimerent; missis ad Ptolemæũ MacedonumRegem legatis, an pacem auro habere vellet, interrogant. Is Alexandri orbis terrarũ domitoris successor, vel tanti vmbrâ nominis tutum se fore in Gallos arbitratus, maiori ferociâ ac fiduciâ quã consilio, pacem cum Barbaris (ita enim Gallos appellabat) nisi datis obsidibus, armisque sũmissis, non se habiturum superbè respõdit. Ea vox adolescentis à Belgio cum risu excepta est: sed vbi militum animos peruasit, tantâ Gallos neglectæ legationis ferro vindicandæ cupidine incendit, vt ferocem Regem infestis agminibus nullâ morâ

Iust. l. 24.

interpoſitâ peterent. Ptolomæus remiſſis amicodum auxiliis, fœderatorumque Principum appendicibus, vt *ſua quiſque & publica fata præcipitare cupit*, cum paucis iiſque inconditis (quippe qui fatis d ſcelera anteactæ vitæ vlciſcentibus duceretur) Gallis auſus eſt occurrere. Sed breui impetu fuſus in acie captuſque eſt: mox in pœnam arrogantiæ obtruncatus eſt: quique in ſuos impotenti licentiâ graſſatus ferro fuerat, *non ea facilitate defendi parricidia, qua fiunt* expertus eſt. Addita cladi ignominia, ne quid ad cumulum malorum deeſſe videretur; caput eius reſectum in ſummâ haſtâ fixum, toto circumfertur exercitu, ad terrorem hoſtium, qui deiectos ordines reſtaurare conabantur. Tum Macedones viſo ſpectaculo fugere, Galli palantes cedere, tota regio luctu & commiſeratione compleri, vnius ſe adoleſcentis Regis temeritate ciues, patriam libertatemque amiſiſſe, cuncti ſimul conqueri. Præſentis periculi ſpecies ex tanta ſuorum clade & Regis ſui caſu, omnium ſimul corda animoſque horrore perſtrinxerat: *ure leues loquuntur, ingentes ſtupent*, nec aut conſilium ſuppetebat aut manus. In publica rerum omnium deſperatione, conſternati Macedones. Soſthenem ignobili quidem e loco ortum, ſed virtute præcellentem, f ac prænitétem Ducem (vetuit enim ſe Regem appellari, ne iterum ominatò & diis aduerſis bellum inirent, ac pertinax fortuna Macedonas vrgere nun deſineret) inſtituunt. Is minimè ignarus *plerumque vnius calamitate complures fieri cautiores*, contrariâ quàm Ptolemæus ratione bellum gerere decreuit, quippe cunctationem ſuis fore vtilem, hoſtibus exitialem reputabat. Sic aliquandiu impetum Gallorum ſuſtinuit eluſitque. Verùm breui à multis & victoribus oppreſſi pauci, vno prælio infeliciter commiſſo, in arces cum præſidiis tenuiſſimis compelluntur Macedones. Tum vaſtata ab Gallis Macedonia: paſſimque omnia fœdis populationibus diripiunt.

Luca. 7:

Aurel. vict.

Sen. Hyppoly.

Ph. Comin

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Bellum Athenienſe.

HOc Gallorum impetu Græcia omnis, quippe quæ magnis cladibus ab Alexandro & Philippo, etiam priùs, poſtremò ab Antipatro & Caſſandro pene exhauſta viribus elanguerat, in poteſtatem exterorum ceſſit. Soli Athenienſes tot quondam factis inſignes, pro communi patriâ ac libertate & priuatis ſuis & aliorum aduentitiis opibus, quamquam & ipſi tot aduerſis præliis debilitati ac propè fracti eſſent, ad Thermopylas celebrem olim victoriæ locum contendêre. Erat eorum Dux Callippus manu conſilioque præcipuus. Is occupatis montium anguſtiis a quaſi obiecto clauſtro Gallos acceſſu fruſtra prohibere conatus eſt: Nam illi quà olim Ephialtes Trachinius Perſarum copias traduxerat, progreſſi; cæſis præſidiis, Græcos vndique circumuentos vaſtâ ſtrage diſiecere, reliquos quibus ferrum pepercerat, Athenienſium naues ſeruauere. Neque verò ſine Gallorum ſtrage, quibus nimirum in arduo res erat cum peritis regionum, adhæc inutili equitatu gerenda certatum eſt. Afflictis per hunc modum Græciæ opibus, dilapſis quæ ad ſiſtendos hoſtium impetus in vnam aciem confluxerant gentibus, fœda Regionum vrbiumque populatio ſequuta eſt: direpti viciſſim impune ij populi, qui nuper ſub Philippo Alexandroque Regibus, finitimas gentes orbemque adeò penè totum deprædati fuerant.

Pauſan. in Attic.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Bellum Delphicum.

Pausan. Phoc.

FErunt etiam auditis suorum prosperis successibus, eò ad prædam conuolasse qui Brenno Duce, cui superior in Græcos expeditio à nonnullis Acichorioque Duci ascribitur, Italiam insederant: cúmque hostium cupiditati exhaustæ penitus regiones non sufficerent, Brennus cui hominum opes iam sordebant, [a] vt *auidis natura parum est*, quasi cum hominibus puderet pugnare, deos [b] aggressus est; cæcâ quadam auri Delphici cupidine accensus Delphos aduolat, propositâque præda, ad templi toto orbe Augustissimi expugnationem direptionemque suos inflammat. Data militibus mora, vt se ferocius ex magnitudine prædæ ad irruptionem accingerent: quóque faciliùs bello mox vincerentur, vino [c] priùs vincuntur, quod frequenter accidere Gallis solet, ob immoderatas eorum crapulas ac ebrietates. Fama est concussa ingenti motu Gallorum castra, & horribili fragore crebra tonitrua de cælo intonuisse, rupes nullo impellente, & sponte auulsa de Parnasso saxa irrumpentes hostes obruisse: visus est & à sacerdotibus humanâ specie maior augustiorque adolescens, non diuersus ab Apollinis vultu: hic ædem & sacra defensurus, Gallis terrorem omen victoriæ obsessis dedit: recreati deorum suorum fauore ac præsentiâ Delphi, tantoque defuncti periculo, hostem fessum multis cladibus, & amissâ omni spe expugnationis castra repetentem inuadunt ac prosternunt. Irruente etiam grandinis nimbo, teliſque è sublimi depluentibus, fugantur, concidunt. Nox reliquias afflicti exercitus seruauit, repetentibus Templum Delphis, diuersâ fugâ in colles euaserunt. Delphis adfuere Phocenses aliique finitimi cùm aliquot Ætolorum copiis. Brennus siue pudore amissi exercitus, siue eas pœnas exigentibus

Sen. Herc. Oet.

Polyb. l. 2.

à sacrilego d Diuis, furore quodam mentis occupatus repente hausto, vt aiunt, mero, suo se pugione transfixit. Sic Galli quam virtute compare dominationem potuerant, sacrilegio amiserre: sedemque sepulchris eorum præbuit Græcia, quam illi viribus imperioque proposuerant. Nunquam clariori exemplo constitit. *Omnia prospera euenire colentibus deos, aduersa spernentibus.* *Iust. l. 28. Liu. l. 5.*

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Gallorum in Asia dissipatio.

QVis magnitudinem cladis ab obsessis ac trepidis ciuibus mirabitur; si in exitium infelicis ac sacrilegi militis terra, cælum, tota denique rerum natura & iusta numinum ira consenserit: vnum id Gallis solatio fuit: Exercitum tot gentium victorem non bello ab hostibus, sed à diis tempestate deletum fuisse: quis enim credat tantum Gallis iniectũ animo furorem ac vecordiam, vt patriæ linguæ ac vocis derepente ignati, nec vultus inter se, nec scutorum signa agnoscerent, sed contrariis ordinibus vtrinque per cæci illius erroris ementiam stantes, mutuis se vulneribus gladiatorio plusquam more conciderent? Græcis inde incessentibus assidue, tantam Gallorum editam stragem, vt ex tanto hominum numero ne vnum quidem saluum rediisse domũ fabulentur. verum quæ fides fabularũ architectis? Igitur omissis Delphis infelicissimi exercitus reliquiæ partim in Thraciam, quibus itineribus Græciam inuaserant, reuersæ; regnum constituere: deuictis Thracibus, & Tyle Regiâ constitutâ, Commontorio in Regem assumpto, impositoque Byzantinis tributo, modò tribus, modò quinque, interdum decem millibus aureorum: ad extremum 80. talenta singulis annis pendere coacti Thraces, vsque ad Clyari tempora, quibus superata viciſſim ea gens, penitùs extincta est. qui supererant, partim in antiquam *Iust. l. 19. Paus. in Atticis. Polyb. l. 4 Strab. l. 4. Geog. Iust. l. 32.*

patriam remigrarunt, ij nimirum qui Tectosagi vocabantur, nonnulli in Asiam classe transuecti, maritimam eius partem populationibus infestam reddiderunt.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Aurum Delphicum & Tholosanum.

FEstinanti ad alia stylo, manum moramque iniicit decantatum aurum Delphicum ac Tholosanum, suis possessoribus exitiale adeò, vt qui contingerent, subitâ numinum irâ plecterentur, quis credat Gallos Tectosagas, malè exceptos Delphis, vbi maiorem vim numinis quã hostium senserant, aurum inde exportasse in patriam, ac in vicinum Tholosæ lacum coniectum olim, quo velut piaculo lues diu grassata sisteretur: inde aliquantò post à Q. Cæpione extractum graui suo damno? vero propius est, Cimbrorum ac Teutonum vrgente bello, expilata fuisse à Romanis templa, qui omnes præsentem deorum vltionem pestilenti morbo confecti, persensere. Sed vt rerum intermissa series retexatur; eâ clade Delphis acceptâ, Gallici nominis terror mirum in modum imminutus, reliquas passim gentes, ad vlciscendas iniurias subinde accendit: & quamuis manifestâ deorum ope deletos fuisse Gallos constaret; fuit tamen ea res documento, posse vinci eos, qui antea inuicti haberentur. Scythæ, Triballi, cæteræque circa Epirum gentes in Gallos, qui eas terras insederant, signa infesta attollunt. Cimbri ac Thraces conspiratione mutuæ societatis pariter accensi, diuersis locis ac bellis adoriuntur: sed victi acie ab Cerethrio Duce, parere victoribus didicerunt.

Iust. l. 25. Plut. in Mario.

Paus. in Phocicis.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Bellum Macedonicum secundum.

TVm missi ad Antigonum Macedoniæ Regem, qui pacem si emere vellet, offerrent: is ratus Gallos iri territum, si instructum militem, classem paratam, & rerum istarum neruum ac subsidium opes ostentaret suas; legatos ingenti apparatu epularum ad cœnam inuitatos, eò vbi illa cernerent, adduci imperauit. Sed contrario quàm putauerat sensu, ea magnificentia excepta est, vt intelligas inesse *Maximum discrimen a penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum causæ.* Namque his opibus incitati, longè quàm venerant infestiores, ex vbertate diuitiarum ad suos reuertuntur. Igitur exploratâ Macedonum incuriâ, castrisque haud munitis, quasi illi vallo aut fossâ non indigerent qui auro abundarent, ad opimam prædam veriùs quàm ad pugnam dubiam ac difficilem profecti sunt. nocte iam appetente improuisi aduolant, perculsosque insperato aduentu Macedonas inuadunt, nec difficulter occupatis castris, cùm passim hostes in latebras montium ac nemorum diffugerent, Gazam Regiam diripiunt, & auidissima gens ex longâ velut fame auro se satiat. Diu tamen rapto frui non licuit: nam vt fieri solet in certâ victoriâ, b *nihil adeò securis nocuit quàm sui fiducia & contemptus hostis*; passim prædam diuisis agminibus abducebant in littus, cùm è propinquo saltu Macedones, relictis Antigoni Regis consilio vxorum ac pellicum suarum, quæ nihil aliud fuerant quàm onera impedimentaque, gregibus; reliquâque imbelli multitudine cõsidere iussâ, incautos Gallos facto vndique impetu adoriuntur, cædunt, sternunt: tantùm momento c temporis discordante fortunâ, vt spoliati diffugerent, qui nuper fugientis Antigoni castra diripuerant; & ab eo ipso quem castris exuerant, tantâ inter-

a *Tac. 4 hist.*

necione deletos Gallos ferunt, vt passim agri stratis ferro cadaueribus complerentur.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Galli Asiam occupant.

Liu. l. 38.

NEc ea clades tamen adeo fregit aut demisit animos Gallorum vt ab inceptis desisterent: a imperium vniuersæ Asiæ nihilo seciùs affectare inceperunt. nec spes omnis ad irritum cecidit, occupatis feraciſſimis terris, quibus tandem pulsi à Romanis legionibus, in antiquam patriam velut ex longâ peregrinatione reuerterentur; huius demum imperij fundamenta iacturi, quo Romanæ opes conuulsæ proruerent. Ptolemæi Ægyptiorum Regis stipendiis parum feliciter militarunt; traducti b in loca aspera incultaque nonnulli, duriori ferro exitu, fame nimirum enecti periere. Pyrrhum in Antigonum iuuerunt inſigniter, ac tantò cupidiùs, quòd recens accepti vulneris dolor omnium animis adhæresceret: Nicomedem Bithyniæ, fuso Zybæa qui prouinciam inuaserat, reddidere: ac diuiso ex æquo regno, regioni à se occupatæ, Gallograeciæ nomen, ex mixturâ incolarum impoſuere, quæ res clariſſimorum Ducum Lutarij & Leonorij auspiciis gestæ sunt; tantâ Gallorum laude, vt *quia fundamentum perpetuæ commendationis & famæ iustitia est.* Orientis Reges, si discordiâ ortâ turbarẽtur, euocati ob iustitiæ opinionem singularem Galli componerent. Fuit etiam Gallicæ virtutis in bello fama ingẽs; ideôque Principibus vtilis, vt nec illi sine Gallicâ iuuentute bella gererent, nec pulsi Regno dignitatem recuperare vllo modo possent: quodque ad gentis inuictæ gloriam immortalem maximum est, tantâ integritas fuit, c vt Reges de terminis prouinciarum ambigentes, disceptationum suarum iudices Gallos eligerent. Hinc Asiæ arbitra gens, nominis maiestatem sui auxit summum in modum c ne

Pausan. in Attic. Plut in Pyrrho.

Iust. ibid. Polyb. l. 4. Strab. l 12. Liu. l. 38.

difficile fuit tam iusto imperio subiacere, ac ijs morem gerere, qui tantâ moderatione in extinguendis finitimorum contentionibus vterentur.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Gallorum in Asia diuisio.

VErùm quia [a] *Magna firmæque dominationis custos est concordia,* ne ea Gallorũ multitudo quæ se in Asiam illam, quàm nunc Natoliam vocitamus, effuderat; eamque omnem velut examine [b] aliquo impleuerat, tot distincta populis, sic animis diuideretur: visum è re publica est, ad tria potissimum capita totam redigi; vt alij ijque nobiliores Tectosagi, alij Tolistobogi dicerentur; Tertium denique genus Trocmesios quos & Trocinos dicent, contineret. *Iust. l. 25. Liuius l. 38 Strab. l. 12. & 4.*

Cæterùm [c] Gallicæ originis, & vsitata ante inter Gallos nomina, ne quis aliunde sumpta putet, quæ dudùm ante hæc tempora inualuerant. ac ne controuersijs inter se, qui aliorum populorũ contentiones sedare consueuerant, distraherentur, terris ac regionibus auelluntur: indictis, ac limitibus certis diuinitis ac descriptis ex publico consensu quos quisque incoleret, agris. Trocmesiis Hellesponti ora assignata fuit, ij Syriæ Regem imperata facere coegerunt. Tolistobogi Ætoliam cum vicina Ionia tenuerunt: Cæteris mediæ Asiæ regiones in sortem suam obtigere; quibus insuper finitimæ gentes ad Taurum montem & Halim fluuium sitæ, tanquam illustrioribus, annuum vectigal pensitabant. Paulò aliter à nonnullis Regionum diuisionem cognatas inter gentes astrui non me fugit; sed in tanta scriptorum varietate, ac tam fædis rerum tenebris, quis videat, cognoscat, iudicet? Censura difficilis, iudicium incertum, malo ego ea in re vt & alibi, vbi nubes antiquitatis densiores occurrunt, notare quàm vel dissipare, cũ aliquo periculo erroris. nec mihi succensere poterit æquus *Plin. l. 5.*

rerum æstimator, si hac in parte potissimum, tenuis esse famæ quàm nouæ maluerim. Id vnum certè liquet, Asiæ Reges Genti Gallicæ vectigales diu extitisse: vt vel hoc modo securi ad hostibus, inuictæ gentis amicitiâ nixi quiescerent. Cæterum ignota pene nobis Tolistobogorum, Troemorum, & Tectosagorum nomina, familiari apud nos appellatione, nonnulli hoc modo designarunt: Tolistovoturos & Arubianos aggregant: Tectosagos Languedoxios, Tholosanos & Aquitanos esse affirmant. Tromos denique Aruernos Burgundiones, Heluetios & Sequanos nunc dictos contendunt.

Plin. l. 15. c 32.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Bellum Macedonicum tertium.

INterim vt bello materies suggereretur; nec desides longiore otio animos inuicta gens demitteret; erepto è viuis Pyrrho, siue illum tegula tecto ruens, siue vibratum ab vrbe saxum, tantum Regem rebus humanis, abstulerit; Gallos, quòd eius partes essent secuuti, Antigonus Rex armis aggreditur, ratus iis domitis, facilem fore de reliquis hostibus, à quibus tum premebatur, victoriam. Re acceptâ Galli prisco & barbaro more, namque Galli in bellis periculisque pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent, humanas hostias dijs suis mactant, vt ex sanguinis viscerumque tractatione, bella proximi euentus conijcerent. Quid potest esse dementius quàm humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? Cladem suorum maximam Aruspices præsagiunt, quam vt abs se propulsarent, vxores, liberos, & quicquid in castris inualidum inermumque cui vel ipsi hostes peperciissent, immaniter obtruncant. His peractis illiti sanguine suorum, quem sic impigrè hauserant, cruentóque sicut erant suorum parricidio

Iust. l. 25.

Cæs. l. 6.

Lactant. lib 5. c. 10.

authorati, in Macedonas mouent. Sed furiosi & suorum vmbris continenter occurrentibus lymphati, tanto terrore corripiuntur, vt dijs hominibusque ex tanto infensi parricidio, velut placandis suorum manibus ab hoste mactarentur.

Hîc iam multa incidimus; neque enim vlla suppetunt scriptorum monumenta, quibus res à Gallis bello gestæ perferantur; nec tamen credibile est, gentem fœcunditatis eximiæ, ac virtutis inclytæ, tot sæculis quibus Gallorum facta sepeliuntur obruunturque, iacuisse desidem ac ignauam: eam inquam gentem, quæ inter [a] ferrum & arma nata, *prima post herculem est*, bellorum adeò auidam, vt si exteros non habeat hostes, domi quærat, & in se armetur; quieuisse vix putem. Inuidit nimirum tot Gallorum victoriis antiquitas; quóque iniquius nihil reperire est, leuissimas clades odio præclaræ gentis euulgauit, Triumphos [b] tacuisse visa est. *Sed vltrò se prodit virtus, obducat vmbras & tenebras densiores inuidia, suo fulgore perrumpet & clariùs tandem coruscabit.*

Liu. l. 21. & 10.

CAPVT TRIGESIMVM.

Gallorum gens Mercenaria.

OMissis igitur in oriente rebus, ad ea quæ in transalpinis regionibus gesta sunt, stylum nostrum inflectamus, mox eò vnde digressi sumus reuersuri. Sic enim adacti necessitatis lege ac temporum ordine, velut desultoriâ oratione, in alias aliasque prouincias distantibus in locis positas transilimus nonnunquam: ne quid perturbatè ac confusè aut permisceatur aut omittatur: sed suis quasi [a] locis sedibusque omnia committantur.

A V. C. CDLXXVII. Eutrop. Polyb. l. 1.

Orto Romanos inter ac Carthaginienses grauissimo bello, pro Sicilia, quam Romani, Siculo Regi Hieroni per Appium Claudium primum eripuerant, anno circiter vrbis conditæ CDLXXVII. Pœnorum arma, & subinde Romanorum, vt in

diuersis castris militarent Galli sequuti sunt. Nam cùm [b] montes aureos Carthaginienses pollicerentur, & Punicâ fide diu elusissent, ad Romanorum partes non semel transfugæ se receperunt: Sic Carthaginienses transitione Gallorum destituti in magnas sæpe angustias rerum redacti sunt: nec diu impune; Hannone Pœno desertores perfidiosè, ab eo ipso quem adibāt Consule Romano T. Octacilio puniente: nec inultus Gallorum sanguis, quem tanta perfidia effuderat: versâ enim in consilium ac audaciam [c] necessitate, (vt in re simili fieri solet) cruentissimam Romanis victoriâ impendio sui sanguinis attulerunt: quippe à multis pauci circumuenti, omissâ victoriæ spe ac salutis, in destinatam mortem conspirauerant: tanto omnium ardore, vt victores se putarent si non inulti morerentur. Doluit Romanus fortissimorum militum sortem exploratâ fraude: ac breui augescente in dies Pœnorum perfidiâ, Gallorumque odio exardescente, quinto eius belli anno vexilla Romanorum sequuti, magnam partibus accessionem, Pœnis damnum induxere.

A. V. C. CDXC. II.

Front. l. 5 c 11.

His innixi Romani, maritimum prælium instruere primùm ausi sunt: antea enim intentatum legionibus Romanis mare: sed fiduciam adferente Gallo (erat enim Gallis cum discriminibus maris, non notitia solum, sed familiaritas) commissum certamen tantâ felicitate, vt captis hostium triginta nauibus, XIV. demersis, Carthaginienses vincerentur. nulla Romanis gratior visa est victoria; quippe qui terrâ inuicti, plurimùm etiâ mari possent. Tum mitiùs & humaniùs cum Gallis Pœni agere instituerunt: illi iniuriarum minimè tenaces, pro Carthaginiensibus iterum militare occeperūt: conducti maioribus stipendiis, eò facile vbi lucri spes [d] effulgebat, inclinabant. Autaricus igitur dux insignis, haud leueni popularium suorum manum pro Pœnis armauit. Sed initâ tandem pace, cùm stipendia non ex fide soluerentur, mouit seditionem. Itaque pertractis facilè ad partes Ligu-ribus, Hispanis, Græcis, aliisque, Galli signis infestis Carthaginem aduolant, nec longè abfuit à

Sidon. lib. 8. ep. 6.

direptione ciuitas : quin Carthaginiensium captiuorum septingenti flagrante seditione, ab infensis obtruncati sunt. neque illic duntaxat hæsisset stetisseque furor, ni interceptus cum aliquot sociarum gentium ducibus, cùm fidei publicæ se commisissent, Autaricus supplicio e vltimo, modum imposuisset seditioni, seuerè quidem ; sed nullum aliud gliscentis discordiæ remedium, quàm si vnus f altérue maximè prompti subuerterentur. quo miror magis, eodem ferè anno quo hæc gesta in Africa sunt, pro perfidis in Græcos cum Persarum Rege Xerxe militasse : nimirum eò festinabat inuictissima gens, vbi aut gloriæ, aut prædæ spes aliqua effulgeret. *Tac. 2. Hist.*

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Galli armis inuicti otio & deliciis franguntur.

SIbaritas (quietissimum hominum genus, & luxui planè deditum) qui cum aliquot Asiaticis belli societate coierant, imperio adiecere: Ariæi superioribus haud impares, ciborum delicatissimorum illecebris ac suâ primum ingluuie deceptos, fugitiuis similes, velut vinctos partim concidêre, partim in subiectum amnem compulere. Sed vt *difficilis in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere* [a] *non potest, recedit*, ijs tandem artibus quibus alios fregerant, fracti ; multùm à pristinâ virtute degeneres breuissimo tempore, euaserunt, tot deliciis otium additum, sublato victorum in Asia metû, apertaque luxuriæ via, non gradu, sed præcipiti cursu à rectis ad praua, ab his ad vicia, rapidissimi instar turbinis egit præcipites. Nam cùm armis velut quiescentibus laxari cœpit Gallorũ in Asia animus, [b] Asiatici mores facilè inducti sunt, militarium rerum abiectâ curâ, quietem & otium respexit, nec difficulter inde vetustate otij fractos, excepere voluptates. Sic de industriâ fortissimos *Diod. Sic. l. 11. Polyb. l. 2. Athen. c. 14. 10. Pater. l. 1. Pater. l. 2.*

viros deprimente fortunâ, vt quos hostium suorum arma non vicerant, sed nec terruerant quidem, delicijs vincerentur. Nec longo temporis interuallo virtus strenuissimæ gentis elanguit. Vix cessatum ab victorijs bello quærendis, annos sex & quadraginta; [c] *Adeò maturè impetus in stuporem, in ignauiam audacia, in torporem mentis ferocitas, virtus in vitium, in clades maximas, insignes victoriæ plerumque desciscunt.* Dumque seu [d] Fatorum inuidiâ, seu ita res humanas Deo volente, partum e labore Gallici nominis decus otio corrumpitur in Asia; Bella interim cum Romanis gesta strictim euoluere, haud erit à proposito nuper ordine alienum. Multiplex diu casus, & varius belli exitus fuit; modò spem, modò metum vtriusque partis augente, ac inter fortissimas gentes certamen ita æquante Fortunâ, vt domitis tandem Gallis, fractâque penitus æmulorum potentiâ, non accepisse, sed fecisse imperium Romani viderentur.

Finis Libri primi.

FLORI GALLICI,

LIBER SECVNDVS.

HÆc in Oriente ab ijs Gallis qui Asiam propè omnem infestis armis insederant, gerebantur; Nunc ea resumenda sunt, quæ in Italiâ, ipsâque adeò Gallia, aduersus Romanos gesta sunt Quæ res diu animum ancipiti cogitationum æstu abreptum distraxit, ea fuit; quòd cogitarem nunc mihi ab Oriente in Occidentem, nunc vicissim ab his regionibus quas incolimus, ad alias remotissimas orbis terrarum partes puncto temporis esse transuolandum. Sed suis omnia locis referenda sunt: & vno quasi filo texenda fuit oratio. Hoc saltem consilio, vt si totâ re, quod minimè volo; temporibus, quod certè maximum est, non errarem. Enimuerò si quæque suis temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ; quas vt inter se cohærebant, haud dubiè orationis serie coniunxissem, ni confusa rerum identidem intermissarum moles, propositi operis ac ordinis perspicuitati & facilitati obfuisset.

CAPVT PRIMVM.

Bellum Romanum sextum.

QVæ igitur prælio ad Vadimonis lacum per Dolobellam commissio, post quintum & quadragesimum otij annum ordiar dicere. Pudebat Gallos erepto nuper Arimino, & superiori bello summotos longiùs arceri: igitur delectu suorum habito bellum mouent, initio felix, sed exitu luctuosum genti. Nam Publium Valerium Consulem cæsis Romanorum IV. millibus profligant: [a] sed mox reparatis animis, acceptæ cladis dedecus restauraturus Consul, non expectatis quæ Roma submittebantur subsidiis, ingenti Gallorum strage suorum manibus parentauit. cæsa hostium eâ die millia XIV. Nec decreuit Senatus victori triumphum; quippe visum satis Romanorum Fortunæ, famam accepti damni obliteraſſe, & cruore hostium susceptam maculam diluisse. Insequenti anno bellum renouatum est, pari pene fortunâ. Alterum Consulem Q. Flaccum pene intercipiunt Galli, nam L. Lentulus copias à Collega distraxerat, quò effusiùs hostes insequeretur. Tum agitatum de Pace, indignantibus Gallorum fœderatis: quibus (vt ferè fit) ab societate sensim diffluentibus, cùm Gallorum exercitus minueretur, Romani in Boios acerrimos & propè annuos hostes repente irruunt, eosque agri parte multatos dimisere.

Zon. to. 2 Oros l. 4. c. 10. A. V. C. DXII.

CAPVT SECVNDVM.

Gallorum vires imminutæ.

SIc paulatim Galli ijs regionibus quas in Italia insederant, exuebantur: Sed nihil æquè rebus Gallicis obfuit, ac mutua [a] discordia: vt inuicta diu gens, suis lacerata manibus, vel minimo

hostium impulsu facilè vinceretur. Tùm cecidit infractus antea animus, & vincendi consuetudine ferociores Romani, Gallicum impetum, nihil iam metuere, sed pene spernere; quorum nominis terrore perculsi olim, de libertate, de imperio, de publicâ salute desperauerant: siquidem Gallorum nomine nihil apud Romanos tetrius, nihil horribilius esse consueuerat. Galli contra Romanorum arma formidare, quæ antea contemptui erant. Sed vt b *nihil in hoste tutò spernitur*, quem spreueris, valentiorem negligentiâ facies, Romani Gallicæ virtutis haud immemores, quanquam multis cladibus pene accisa videretur, strenuæ gentis metu, à rebus plerunique maximis suscipiendis deterrebantur. Galli vicissim odio victoris toties populi, grauissimo terrore Remp. distinebant. Sic mutuis affecti vulneribus, & mutuâ virium suarum admiratione pares, à bello ad fraudes animum conuerterunt: vt non palam & apertè, sed tacitè & quasi cuniculis res gereretur. *Polyb. l. 2 Curt. l. 6,*

CAPVT TERTIVM.

Gallorum intestina discordia.

ERant tunc temporis Romæ Consules M. Æmylius, & M. Iunius. ij Bellum in Ligures qui oram maritimam incolunt, meditabantur. Gratum id Gallis, vt eo occupati Romani faciliùs & commodiùs premerentur: nec tàm rei Romanæ inuadendæ, quàm vindicandi a sui sanguinis cupiditate ad bellum mouebantur Sed gnari cõsiliorum Consules, bello occupato, in Gallorum agros excurrunt, illi eâ celeritate intercepti, bellum quod tacitè moliebantur extinguere, quàm accipere maluerunt. Sic belli grauissimi moles, intra mutuæ fraudis artes latuit: quod vix exacto biennio emersit è suis latebris multo vehementissimũ. Nam immanes Transalpinarum gentium copiæ, in Italiam à Cisalpinis Gallis contra Romanos accitæ, in ancipitem metum Rempublicam adduxerunt. *Zon. tom. 2. A. V. C. DXX. Polyb. l. 2. A. V. C. DXIII.*

Redacta mehercule ad orci fauces erat eo bello Romanorum potentia, b si Galli in commune consensissent : sed Boiorum imprimis coniuratione in irritum cessit impetus; amissis etiam ex seditione in Gallorum castris obortâ, Ato & Galathe Regulis, in tantùm Romanis aspirante fortunâ, vt nullo rerum suarum discrimine, c hostium vires, magnas & formidolosas, suis penè manibus ac ciuilibus discordiis conciderent.

CAPVT QVARTVM.

Bellum Romanum septimum.

NOndum à superiori tumultu triennium effluxerat, cùm (vt assiduo infestissimæ gentis terrore quaterentur) graùissimi belli oborta tempestas, Romanos afflixit : nimirum vt alijs alijsque tumultibus, ad grauiora multò bella præluisse principem orbis populum, orbis ipse miraretur. Ortum belli principium ab agro Piceno, vnde nuper eiecti Senones. Hunc militari more, emeritis ac veteranis Cn. Flaminius edicto assignauerat. Ea res vniuersam Gallorum gentem adeò accendit, vt sumptis pari consensu armis, vocatisque in auxilium transalpinæ gentis (Gesatas vocant, quòd mercenariam militiam obirent) Regulis Congolitano, Aneroeste, & Britomaro, Romani copias promouerent. Creuit in summum Gallorum furor indignatione a mixtus, & singulari insuper gentis suæ ignominiâ inflammatus ; quippe his ferè temporibus Gallum virum Gallamque fœminam in foro Boario viuos Romani defoderant ; Audiuerant enim Romam ab Gallis captum iri : quo sacrificio miseram ciuitatem Pontifices funestauere, rati vel sic prodigia, quibus terrebantur, expiari : nam in Piceno flumine sanguis effluxit : & apud Tuscos cœlum latè ardere visum est : Arimini nocte multâ claram lucem fulsisse, ac tres Lunas distantibus cæli regionibus exortas apparuisse passim vulgabatur. Nunquam maioribus copiis

Polyb. l. 2. Fl. 2. c. 4. Eutr. l. 3. Oros. 4. c 13.

Romani certauerant; pro his tota Italia consensit, Cenomanni Venetique Gallorum populi, in belli societatem contra populares suos assumuntur. Socijs arma & commeatus, aliaque id genus imperata sunt. Superat fidem armatorum numerus. Septingenta & ampliùs millia, pro Romanis in armis stetisse quis credat? nec inferiori multitudine Galli aciem instruxere, fuit tot vndique armatis Italia [b] angustior. Omissâ aliarum prouinciarum cura, [c] vt vni Romæ capiti rerum studeretur: vrgente etiam Carthaginiensium in Hispania bello. Primo conflictu in Thuscia apud Clusium fusi ac prostrati Romani, armatorum septem circiter millia amisere: præter infinitam hominum multitudinem, ac ingentem omnium rerum copiam, quæ in Gallorum potestatem venerat. quæ clades tantùm non Romanorum vires fregit, vt magis magisque confirmauerit: cùm illi prudentius, Galli contrà [d] negligentiùs, ex tenuissimæ felicitatis euentu rem gerere inciperent. Igitur Gallos victoriâ feroces, & prædâ ingenti factâ oneratos occupatosque, Lucius Æmylius, & C. Attilius Consules (Attilius commodè ex Sardiniâ insula aduenerat) adoriuntur, interceptosque diuersis à fronte & tergo partibus circumsident. Galli in eas rerum angustias adducti, sitam in ferro salutem suam, nec fugæ vllum sibi relictum iter cogitantes, cum vndique hostium legionibus clauderentur, (habent enim hunc in primis bifrontes acies vsum, quòd nullam militibus vertendi terga spem præbent,) sumptâ ex periculo [e] fiduciâ, honestè saltem morituri, [f] *quod maximum viris solatium est*, in eum ordinem copias distribuunt, vt diuisis distinctisque agminibus vtrinque depugnarent. præcipua Gallorum vis in equitatu, quem expeditissimum habebant. huic primus belli impetus committitur: vbi ab equitibus pugnæ signum audiri cœptum est, tum magno impetu [g] in Romanos prouolant: turbant ordines, passimque huc illuc cursitantes, auulsos à suis Romanos ferro demetunt. Apud Ariciam propè in ipso conspectu Romanæ vrbis, pugna conmissa est, non

A. V. C. DXXV.

Polyb. l. 2.

Strab. l. 4. Geog.

multitudine tantùm cælorum, sed etiam dignitate Ducum insignis. Attilius alter Consul cæditur; eiusque resectum caput, in summâ hastâ fixum ad Gallorum Regulos, inter magna ludibria defertur. Romani quamquam luctuoso Consulis casu prostrati afflictam Rempublicam cernerent, non tamen demisere animum, *Magni & fortis animi esse arbitrati* [h] *patienter aduersa vbi obuenerunt, tolerare.* Collectis igitur ex fugâ velut è naufragio reliquiis, nõ proiectam habuere Rempublicam, sed *virtuti irritatæ vindicta faces admouit & stimulos: superante in vltimis animi magnitudine*, quo vno vinci eo die Roma non potuit. Iuuit insigniter labentem Rempublicam præter gentis fortunam, is omnium pro patriâ sensus, ea mens, victoriam vt si minimè sperarent, [i] mortem saltem non recusarent honestam. se in perpetuum, aut egregiâ victoriâ nobilitandos aut pugnâ. Superesse Cõsulem virtutis [k] suæ testem, mox si dijs placuerit, præmiatorem. Nullam fore tam surdam posteritatem, nullam tam ingratam famam; quæ vtcumque res caderent, non se in cœlum debitis laudibus attolleret. *Impendio sanguinis ac vitæ benè emi immortalitatem* [l] *nominis.* His accensi rebus Romani prælium restaurãt. Galli irrumpentes pari ferocia excipiunt. Anceps diu belli exitus ex vtriusque partis contumaciâ. hos Consulis sui casus, & imperij salus; illos prædæ spes ac gloriæ, ad strenuè depugnandum accendebãt: nec crediderim acriùs vnquã ac constantiùs prælium ab vtraque gente initum fuisse. Fama est Gallorũ pleroſque abiectis [m] vestibus in certamen descẽdisse, quò expeditiores huc illuc, vbi maius periculum erat, cursitarent. quæ res tantùm non profuit, vt obfuerit vel maximè: nam & faciliùs ab hoste petebantur, & fluente ex vulneribus sanguine integros exterrebant. Itaque pulsis fractisque equitum alis, quorum impetu prima Romanorũ acies disiecta fuerat, Romanorum equitatus in Gallos pedites, qui totam aciem ægrè sustentabant, quasi è superiori loco immissus nimbus irruit. cæduntur longâ & latâ strage; XL. Gallorum millia desiderata sunt. atque ad cladis

Curtius l. 9.

cumulum decem millibus cathenæ iniectæ, vt qui nuper pro imperio certauerant, de suâ libertate exciderent. Lætum victoribus, victis turpe spectaculum Roma inspexit: nam [n] Britomaro Duce non prius soluturos se balthea iuraverant, quàm tentatum olim à suis maioribus Capitolium ascendissent. Expleuerunt sacramentum quo se illi vouerant; victos enim in Capitolio L. Æmylius discinxit. Congolitanus in hostium potestatem delapsus victoriam nobilitauit ac triumphum. Aneroestus alter è Gallorũ Regulis, abiectâ omni spe, questus primum de suâ fortunâ, quod tantis rebus gestis, ad eas rerum angustias adduxisset, veritus indignam Rege sortem, suo se gladio transuerberat. [o] Secuti Regis sui exemplum cæteri, haud segniùs quàm ille ferrum induerat, in ensem omnes incubuere, inauditi facinoris societate inferias Regi instruentes. Præda ingens Romam abducta est: nam vrbium direptionibus, agrorùmque longâ vastitate dites Galli, infinitam auri copiam vndique congesserant. restituta sociis quæ Galli ademerant; quò moderationis ac iustitiæ imprimis fides finitimorum animis figeretur. Multati agris Boij, quorum pars superioribus annis in Romanorum iura transierat. Triumphus Æmilio decretus: tantâ rerum gestarum gloriâ, tanto omnium consensu, vt Vltor infamiæ, Collegæ vindex, Patriæ seruator diceretur.

Fl l. 2. c. 4.

CAPVT QVINTVM.

Bellorum vicissitudo.

ACcisæ Gallorum vires eâ vltimâ clade penitus elanguerunt; vt non iam vltimò Romanos bello appeterent, sed eorum arma vicissim timerent, qui diu timuerant, *Quis neget rerum ac gentium esse velut orbem, [a] voluique hominum ac populorum prosperos aduersosque casus, ea lege; vt nec perpetua vnquam obueniat felicitas, nec aduersis sæuientis fortunæ insultibus pateamus?* Ecce tibi

viciſſitudinis rerum in gemina gente documẽtum: ſtabunt in poſterum hoc Romani loco, vnde Galli cecidere: nuper Romanis bellum Galli inferebant, nunc in ſedibus ſuis illatum ægrè propulſabunt. Sic iactabatur inuicem varietate fortunæ vterque populus; ſcilicet imperium quia mutuò affectabat, vtraque [b] gens non capiebat, amplius ccxv. annorum penè continenti bello tentata Roma & à Gallis petita eſt, vt tot prælijs ſtabilita firmiùs ſtaret; [c] nec difficilis eſſet denùm de cæteris triumphus, poſt æmulæ gentis tot & tantas támque celebres victorias. Sed quàm ægrè ceruicem inflexerint, quàm difficulter citra ſuas Alpes reuerterint, vix credideris! vt enim *virtute ac labore comparatis rebus frui d g'urioſum eſt ac ſplendidum; ſic ſpoliari turpiſſimum cenſetur, maiuſque dedecus eſt parta amittere, quàm omnino non parauiſſe.* hinc illa Gallorum pro tuendis Italiæ agris feraciſſimis pertinacia.

Sall. Iug.

CAPVT SEXTVM.

Bellum Romanum octauum.

A.V. C. DXXVI.

NEc dùm annus ab ſuperiori clade effluxerat, cùm per Gallos turbatum eſt: ac per Q. Fuluium Titumque Manlium Conſules perdomiti, leges Romanas haud dubiè accepiſſent, niſi frequentibus è cœlo imbribus ac incremento amnium tota adeo reſtagnaſſet Italia, vt conſiſtere loco milites vix poſſent. Graſſata inſuper vltra modum Romanis in caſtris peſtilentia, exercitus Romanos velut parum bello exhauſtos lacerauit. Sic bellum initio felix ac proſperum (nam xxv. hoſtium millia primo impetu ceciderant) caſus abrupit. Ineunte vere bellum intermiſſum, per P. Furium & Caium Flaminium Conſules renouatum eſt; variâ fortunâ geſtum; Primo belli aditu viſa eſt Fortuna Gallicis blandiri, quo deinde ſucceſſu ſuperbos ac elatos atrociùs [a] proſterneret. Pulſi ab Gallis Romani haud ita leui ſtrage; ſed mox initâ

cum

cum Cenomanis societate Romani, vbi primus Gallorum impetus circa hastatos in fronte ordinum collatos facilè elanguit, in fatigatos repente inuadunt, nam b *Gallorum gens primo impetu acerrimè dimicat, mox verò labascit animis, atque confringitur*, tum magna Gallorum strages edita est, stratique cadaueribus agri, miserabilem vndique speciem præ se ferebant. Auxit mirum in modum victoriæ gloriam captiuorum numerus & præda ingens facta; abducta in seruitutem XVII. hostium millia victoris Flaminij triumphum nobilitarunt. Sed quâ illi fiducia bellum instauraverant! Dixisses securos de victoria in arma prorupisse: nam Aristonico Duce de Romanorum prædâ, Marti suo Torquem in Victoriæ monumentum ac pignus vouerant; nec verò fuit irritum omnino votum: sed ab Ioue exceptum est, cui de Gallorum torquibus, aureum trophæum erexit Consul Flaminius.

A V. C DXX-VII Polyb. l. 2. Liu. 21. Zon. 2. Fl. 2. c. 4. Polyb. l. 2.

CAPVT SEPTIMVM.

Galli sub iugum missi.

LOngè maior insequenti anno clades Gallos afflixit, quâ tandem vel penitus Italia omni exacti sunt, vel imposito Tributo, cedente iam in Romanorum iura orbe, seruitutis Romanæ iugum Galli cisalpini subierunt. Illi igitur damnatis serò tot armorum tumultibus, a vt otium in suo seruare ac colere tutò liceret, pacem ab Senatu populoque Romano per Legatos suos flagrantissimè ambiebant. quò eos non tam voluntas, quàm fractis b iam rebus vltima necessitas adigere videbatur: Itaque negata à M. Claudio Marcello & C. Cornelio Consulibus pax, grauissimo metu gentem omnem perculit, ac ne tamen incauti Galli & imparati à Romanis opprimerentur, velut c vltimo vocante e iculo, iuuentutem omnem in armis esse edixerunt. Coacta vndique auxilia, vocatusque pro communi Gallicæ gentis tuendâ causâ

A C. DXX-IIX.

ac partibus, cum Viridomaro rege magni nominis & virtutis, Gæsatorum (ij Transalpini populi sunt bello exercitatissimi) ingens exercitus. Vrbem inter Padum & Alpes, Acerras vocant, dubium vter populus obsidebat. eò facilè inclinat animus vt putem cinctum Romanis legionibus oppidum, quòd primi in armis Romani, primam in Gallorum fines impressionem fecerant. nec vero simile est, eos qui pacem enixissimè ambierant, priùs de inferendo bello, quàm de suis rebus, si interretur, cuendis cogitasse. Cæterum vt vt sit, in Galiorum perniciem maximam gestum bellum confectumque est. Effusa ad populationem agrorum, decem Gallorum millia Marcellus Consul resciuerat per exploratores: hos passim vagos, vt mos gentis erat, & nihil tale expectantes magno impetu aggreditur; cæsoque priùs hostium Rege, cuius arma auro fulgentia Ioui Feretrio vouerat, cùm Viridomarus Romana Vulcano promisisset, sic cadentibus aliorsum votis; territos ac perculsos Regis sui casu Gallos concîdit, plurimi sublatis secum rebus fortunisque suis trans suas Alpes compulsi sunt. Instat fugientibus cum collega suo Cn. Cornelio Scipione Marcellus, iugentesque Gallorum copias prostrauit. Mediolanum caput Insubrûm expugnauit; cæteri sque in deditionem receptis ciuitatibus, grandem prædam Romam pertulit: ac triumphans e Gallorum spolia stipiti imposita humeris vexit. Hic Romanorum omnium primus, stipendium iure belli, quod victores victis imponere consueuerunt, Gallis cisalpinis instituit, nec verò dubium est; quin iugum impositum rigidâ ceruice Galli sustinerent; sed armis ac præsidiis continebantur, qui resiliendi quidem voluntatem, &, si daretur, audaciam; potestatem f certè non habebant. Quadriennij quies hunc rerum statum complexa est. Romanis de propagatione imperij sui, Gallis de amouendo à se seruitutis iugo, ac recuperanda libertate assiduè cogitantibus.

Plutarch. in Marc.

Flo. ibid.

CAPVT OCTAVVM.

Galli pro Carthaginiensibus in Romanos.

QVO tempore Hannibalis in Italiam cum exercitu numerosissimò descensus, Romanorum in Gallos, quanquam leuissimo prælio cum L. Manlio Prætore tunc luctarentur: & horum vicissim in istos, bella consiliaque abrupit. Is a iuratus Romanorum hostis, parentis Hamilcaris haud degener filius, deletâ penitus Sagunto, domitâque Hispaniâ, quâ Romanis societate adhærebat, hostem in mediâ quæsiuit Italiâ. Qui vt rumor Cisalpinas gentes peruasit, ad spem melioris fortunæ ex turbidis rebus erexit adeò, vt Carthaginiensium aduentum pro libertatis recipiendæ occasione numerarent. Nec latebat Hannibalem pronum ad rebellionem earũ gentium ingenium; transituraſque ad partes, vbi signa Pœnorum è summis Alpibus fulsissent. Sed media & hinc inde arduis montibus ac scopulis tanquam aggeribus defensa Gallia, Pyrenæis claustris si b leuissimo præsidio tenerentur obiectis, exercitum sistere; aut si armis decernẽdum foret, copias frangere his angustiis impeditas facilè poterat. Nusquam magis Punica calliditate opus fuit, vt ad partes traherentur: & quamuis superiori bello acceptæ à Romanis clades nutantes satis impellerent, suspecta c tamen tanti Ducis tantique exercitus potentia. Periculũm ingens si apertâ velut ianuâ tantæ copiæ direptionibus Hispaniarum assuetæ per opulentos Galliæ fines, quâ longè porriguntur, effundantur: ægrè à maleficio immanem diuersarum gentium multitudinem temperaturam; sed si vi aditus quæreretur, vt *in armis ius & sit fore victoris omnia*; nec defuturas ab Alpibus Romanorum legiones, funestæque tragœdiæ daturam Theatrũ, luctuoso quocumque res caderent exitu. proniorem omnium in Pœnos affectus vergebat; Cùm missi vtrinque ad Gallos legati, non dubiâ eorum

Liu. l. 21. Plut. in Hann. Oros. c. 13. l. 4. Zon. tom. 2.

Liu. l. 5.

A.V. C. DXXXII. victoriâ quorum illi signa sequerentur, dubitationem omnem penitus abstulerunt. Nam paucis pro Romanis acriter enitentibus, vicit Hannibal, cuius promissis ingentibus tota pene Carthaginiensium partium fuit Gallia: atque vt *nihil auro* Liu. l. 21. *impervium est*, Pyrenæorum claustra auro, *cuius auidissima gens est*, & *Principum animi conciliantur*, reuulsa sunt; cùm priùs non se nec Pœnorum quemquam exerturum gladium, donec Italiæ fines attigisset, Hannibal f iureiurando adactus sanctissimè promisisset: hospitem se Galliæ non hostem aduenisse. Ingresso Galliam Hannibale, incredibilis Gallicæ iuuentutis multitudo ad eius castra confluxit. Hanc humanissimè excepit: nonnullos etiam quò facilius alios pertraheret ad sese, cohortibus præfecit: eâque arte vniuersæ gentis studia sibi adiunxit, *adeò humanitas & comitas Ducibus vtilis*, E *nam quod cæteri Reges imperio, hi beneuolentia tenent.* Octauo circiter die ad Rhodani ripam cum copiis penetrauit, Soli Allobroges rerum suarum metu, freti montibus quò se statim si cogerentur tutò recíperent, fluminis rapidissimi transitu prohibere conati sunt. Sed cùm eâ parte quâ Lugdunum est ad Rhodani Arariscque confluentem, copiarum partem traiecissent, repetentibus suos montes Allobrogibus, amnem facilè transmisit.

Æmil. Prob Timol.

CAPVT NONVM.

Massiliensium fides erga Romanos.

Marc. 15. Cic. Phil. 8. MAssiliæ societate & viribus, in discriminibus arduis fultam aliquoties Romam legimus. Sine qua Romani vix aut nunquam de transalpinis gentibus triumpharunt. Fuit verò eo tempore singularis in Romanos. Massiliensium fides, g ij pro antiquo fœdere, P. Cornelium Scipionem cum sexaginta triremibus ex Italia vectum portu exceperunt: quóque affectum in Rempublicam suum testarentur, commeatibus, armis, cæteris-

que ad bellum necessariis rebus iuuerunt. Sed iam promotis Carthaginiensium copiis cum Italiæ immineret Hannibal, re infectâ cùm se tantis in Gallia legionibus longè imparem esse sciret, Romam properè ad patriæ suæ præsidium remigrauit.

CAPVT DECIMVM.

Hannibal operâ Gallorum Alpes transmittit.

ALpibus cum exercitu transcendendis vni Hannibali supererat difficultas; nec minimus circa Allobrogas labor. Commodè euênit, Fortunâ Pœnis per omnia aspirante, vt Allobrogum Principes fratres, de principatu contenderent: ij disceptationum suarum arbitrum eligunt Hannibalem, qui cognitâ vtriusque causâ volutatisque diu rationibus, Branco, is erat fratrum alter, principatum adiudicauit: quò factum vt ille pronus in Hannibalem se suamque regionem facilè permitteret. Hac ratione inuias alioqui Alpium radices, transgressus, montium claustra anfractusque primos scopulorum facilè euasit: sed magnum inde periculum sequutum est: quippe luctatus cum rupibus exercitus, Rusticorum hominum qui ea saxa insederant, improuiso impetu penè deletus est. Prærupta erant omnia saxis & cotibus, niuibus albicantia perpetuis iuga; gnari locorum ac scopulorum incolæ impeditos Pœnos sistebant sternebantque; namque ingentis magnitudinis saxa per montium prona deuoluentes, non singulos modo, sed agmina plerumque integra proterebant. id erat omnium miserrimum a fortibus viris, quòd inulti more ferarum cæderentur: stabat inter ruinas Hannibal, inuicto animo omnia perferens; sed cum hærere ibi sine periculo diutius, nec eniti in summa cacumina vlla ratione posset exercitus, de receptu cogitauit. Iamque dari militibus signum imperabat; cum Matali cuiusdam Boiorum reguli consilio abstinuit. Hic iter

aperuit, obſitum quidem niuibus, ſed quas vis frigoris aſtrinxerat; perque acutos calles agmen antecedēs quaſi facturus periculum incedebat. Hannibal inuictus ſuos exemplo præibat, ac pedes per niuem & aſperos mōtes ingrediebatur. Et ubuerūt, vt de Alexandro Magno ferūt, non ſequi præeuntem impigrè, primùm amici, deinde copiarum Duces, ad vltimum milites. Tandem nono die ſummā Alpium iuga emenſus cum exercitu, inuias olim eâ parte rupes ferro, flamma, [b] aceto aperuit: quæ inde Pœninæ, quod per eas Pœni Duce Hannibale in Italiam perrexerint, appellatæ ſunt. ſic poſt decimum & quintū circiter laboris diem, amiſſis intra Alpes xxxvi. armatorum millibus, in Ciſalpinam Galliam peruenit, hodiernis adhuc tēporibus inter Quēracenſem & Traxineam valles, ſuperato montis dorſo per impedita & ardua loca panditur via, admodum anguſta, in ſaxo humanâ induſtriâ exciſa, quæ ab accolis Hannibalis via dicitur.

Cæſ. l. 5.

Innen. Sat. 10.

Thuā. l. 27.

CAPVT VNDECIMVM.

Carthaginienſium de Romanis victoriæ.

HAnnibalis ſigna ſecuti Galli omnes (ſi vnos Cœnomannos excipias, qui Romanis partibus penitiſſimè adhæſere) quippe veteris Romanorum odij, & tot acceptarum iniuriarum ac cladiū haud immemores, oblatâ inferendi detrimenti occaſione vtebantur. Mutina quō ſe Romani receperant, fuſo velut belli grauiſſimi præludio, L. Manlio prætore, oppugnatur: erant in Caſtris Romanis omnino duo Gallorum millia; ſed in populares ſuos qui pro Carthaginienſibus militabant, telum torquere primùm indignati, mox communi omnes aſſenſu maiori mercede ſollicitati [a] ad Hannibalem tranſeunt: quæ res quantùm Pœnos alacritate erexerat, tantùm Romanorum copias debilitauit ac depreſſit. Nec diu Romanorum clades maximas Fortuna morata eſt. Inter Padum & Ticinum amnes fuſus Scipio in hoſtiū manus veniſſet, nī protectū

Liu. l. 22.

patrem Prætextatus filius ab ipsâ morte rapuisset. Mox ad Trebiam ingenti Romanorum occidione, secunda belli Punici procella desæuiit : vbi alter Consul Sempronius pari fortuna conflixit. Inde ad Thrasymenum imperatore Flaminio lacum ; ac tandem apud Cannas ignobilem antea Apuliæ vicum, Paulo & Varrone Consulibus infelicissimè [b] pugnatum est. Indignantibus nonnunquam Gallis, qui vastari suas regiones, & impendio penè omni suo, bellum committi querebantur. nec longè à seditione in Hannibalem tumultus fuit : sed callidus imperator mutato identidem vestium cultu, ne internosceretur, Gallorum impetum ingenti solertiâ euasit.

Poly. l. 3.

A. V. C. DXXXIII.

A. V. C. DXXXIV.

CAPVT DVODECIMVM.

Romani à Gallis cæsi.

QVo ferè tempore, in Gallia Cisalpina Romanus exercitus L. Posthumio Albino Cos. designato cæso, à Gallis planè deletus est, cæsis hominum xxv. mill. quæ clades non tam virtute quàm arte [a] Gallorum illata est. proruentibus in Romanos passim arboribvs, quas Galli, quà hostibus iter per ingentem & opacam syluam prærltis densisque arboribus vmbrosam, Litanam vocant, erat, cautè ad radices ita succiderãt, vt impulsi primi arborum ordines, cæteros facilè prouoluerent; hisque ita impediti partim obtriti Romani ad internecionem occisi sunt. Posthumij caput præcisum Boij ouantes, templo quòd sanctissimum est apud eos, intulere. quod inde purgatum cælatâ auro caluâ, vt mos [b] est genti, poculum quo solennibus libarẽt sacrum, templi antistibus fuit. præda quoque haud minor Gallij, quam victoria fuit. ea clades Romæ nunciata Cannẽsis cladis recẽti adhuc memoriâ consternatos animos ita obtriuit, vt rerum omniũ desperationem penè inueheret. sed Ti. Sempronij consilio recreata respublica est, Romani tot aduersis rebus minimè frangi didicerunt.

Liu. 23. Oros l. 4. c. 10.

Zon. to. 2.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Hannibal Italia eiectus.

INterim Asdrubali Hannibalis fratri per Gallias in Italiam festinanti, ingentes se Aruernorum aliorumque Gallorum copiæ adiungũt: quippe Romanorum vltima calamitas vulgabatur; Actum mehercule de Romanis erat, si vir ille cum tanto sociorum exercitu se cum fratre iam victore iunxisset. Sed hunc castrametantem, [a] audaci quidem, sed tali rerum statu necessario facinore, Claudius Nero, cum Liuio Salinatore Collega, aggressus; coniunctis incredibili celeritate legionibus, relicto in castris T. Tatio debellauit, quo in prælio concisis Hispanorum & Ligurum agminibus, soli Galli, quos potissimum Romani formidabant, aciem diu sustentauere: pari tamen cum cæteris fortunâ affecti sunt. Itaque his tanquam Pœnorum neruis resectis, repente totum exercitus corpus ad terram collapsum est. Reciſuni à ceruicibus Asdrubalis caput, & in fratris castra per lithobolon proiectum, cladis acceptæ nuncium dedit: Tùm ille quasi eo casu redeuntem ad Romanos Fortunam, quæ vultum aliquandiu in se auerterat, conspexisset; agnoscere se Carthaginis infelicitatem, [b] professus palam, de belli exitu dubitare dux bello maximus incæpit. Tum enim repente fluere, & retro sublapsa referri in Italia res Carthaginiensium, adeò *nunquam diu eodem vestigio stat fortuna: quantamcumque felicitatem habeas, inuidiam & cladem senties maiorem.*

A. V. C. DXL-III. *Liu.* 27.28 29.

A. V. C. DXL-VII. *Liu. l.* 30.

Nec felicior fuit Magonis Hannibalis tertij fratris exitus, nam ab Quint. Varo Prætore, & M. Cornelio Proconsl. apud Insubres cum Gallis fœderatis fusus ac profligatus, ex vulnere obiit. Tum Hannibal à peregrinis externisque bellis ad opem [c] patriæ ferendam, quippe Africam Scipio

ingressus, Carthaginiensium fines armis deuastabat, reuocatur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Bellum Romanum nouum.

REuocato in Africam cum exercitu Hannibale, a vt sua tueretur, qui aliena bello inuaserat, grauissimis bellis cum Romanis Gallos, veteres inimicitiæ cõmisere. Romani tanto hoste liberati, in Gallos ob societatem secundo bello Punico cum Carthaginiensibus initam, quamprimùm mouent. Illi se strenue armis tueri; tantâ audaciâ fiduciâque suæ virtutis, quam Romanorum tot clades acuerant, vt hostem alacres b occuparent. Primi omnium sub signis, qui maiore in Romanos c odio semper flagrauerant Boij: hi tantâ felicitate hostes aggrediuntur, vt P. Ælium Pœtum Consulem acie vincerent, cæso Appio sociorum Duce cum vij. armatorum millibus. quo ferè anno, vt in diuersis locis diuersam fuisse armorum fortunam intelligas, ab Scipione Hannibal in Africa debellatus Carthaginiensium potentiam toto nuper orbe formidabilem pessumdedit. Cessit in victoriæ præmiũ Africa post septennium; hinc Duci quo tantæ res gestæ sunt, ab gentis excidio d Africano cognomen inditum est. Sic domi foriſque bella grauissima Romanis incumbebant; Amilcaris instinctu Galli omnes Cisalpini cum immanibus copiis in Romanorum fines irruerant: quo scilicet bello Scipionem Africæ inhærentem extorqueret à patriæ sinu. ferro ignique deleta Placentia, quippe in oppidum victor miles, post quassata machinis mœnia irruperat. Inde Cremonam bellum translatum est. ea vrbs vehementissimè oppugnata, omnem hostium molem fortiter sustinuit: iamque continuis oppugnationibus fessa ciuitas prope erat, vt caperetur, vltró-

A. V. C. DXLIX.

A. V. C. DL.

que in potestatem Gallorum concessisset; ni opportuno Lucij Fulvij aduentu recreata, vt *vnius e sæpe virtute clades proximæ auertuntur*, spem concepisset meliorem. Huic obuiam Galli eductis copiis progrediuntur; furius compositio agmine incedens, magnis succinctus legionibus, in Gallos toto impetu effunditur. Pugnatum est vtrinque magno armorum animorumque ardore: ac neutrâ parte cedente, ingens strages edita est. Tandem penes Romanos sterit victoria; cæso in acie belli authore ac fomite Amilcare, exercitus in fugam auersus est.

A. V. C. DLI. Cladem reparant Galli in agro Mediolanensi; cæsis è vicissim Romanorum VI. millibus sub Caio Bœbio Prætore, Reliquias victi exercitus turpi agmine Romam retrahente Lentulo Consule.

A. V. C. DLII. Frustra inde toto biennio Gallos Romani aggressi sunt; Sexto Ælio aliisque Ducibus parum prosperè rem gerentibus. Sed breui Cænomannorũ proditione Insubres, quos iterum ad arma Amilcar alter conciuerat, à Cornelio Cethego & Minutio

A. V. C. DLIII. Rufo Cons. XXXV. millium internecione penitus profligati sunt: tantâ Romanorum felicitate, vt multæ vrbes arcesque vltrò imperium acciperent. Reliquæ cum Liguribus post aliquot vltro citroque acceptas clades, à Minutio tentatæ magis quàm domitæ quieuerunt; datus tamen reluctantibus bonis Triumphi honos, quem ille propè victus, nedum victor, enixissimè ambiebat.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Bellum Romanum decimum.

A. V. C. DLIV. INsequente anno, ne Gallorum vires quiete datâ augerentur, quippe ex amissæ libertatis desiderio belli societas nunciabatur, Marcello Consuli demandatum in Gallorum reliquias bellum, variâ fortunâ gestum est diu; donec tandem a in Romanorum iura potestatemque orbe terrarum

concedente, ipsi etiam Galli post diuturnas contentiones tantæ potentiæ succumberent. Vltimi Cisalpinorum Boij imperium acceperunt. Horum iuuentus tantâ pugnauisse pertinaciâ memoratur, vt mori prius, [b] quàm summoueri loco ac vinci, in animum induxerit. Quis non mirabitur vnicam [c] gentem angustissimis septam terminis, toties Romanorum arma sensisse magis quam timuisse? spreuisse diu atque adeò fregisse? tot acceptis vulneribus, tot illatis cladibus, adhuc incolumes, bellum reparant identidem, *Tantus libertatis* [d] *suæ & gloriæ amor, mortalium animis impressus infixusque hæret, vt quantò premitur magis; tantò altiùs assurgat; nec nisi cum vita in generosis pectoribus deleri ac extingui potest. adeò suaue est & honestum liberis hominibus cum* [e] *libertate mori.* Galli verò in acie præstare interfici, quàm veterem belli gloriam libertatemque, quam à maioribus acceperint, amittere putant. Nutat Posterorum fides, vt credant tenuissimam gentem tot Consulares exercitus, tot Prætorios; Valerij Flacci, Cornelij Scipionis, Sempronij Longi, Lucij Cornelij Merulæ, Scipionis Nasicæ: nec vno aut altero, sed annis pluribus, neglectâ nonnunquam Romanorum pace ac societate, aut spreuisse, aut tulisse infractâ inter tot rerum suarum clades ceruice. Dixisses, quod Pyrrho etiam vsu venit, cùm videret fusis aliquot Rom. exercitibus, eorum qui supererant in reparando exercitu festinationem; Romanos Herculis sidere creatos, quibus quasi ab angue Lernæo, tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascerentur. Sed absumptis tandem & exhaustis planè viribus, cùm vltimo prælio xxx. armatorum millia cecidissent in acie, qui maximè omnium Romanorum opibus semper obstiterant, receptis à victoribus quas arma imponebant legibus, Populi Romani iugum subire coacti sunt. Nulla hominum gens, aut pro libertate diutiùs & generosiùs decertauit, aut victoris Gentium populi imperium ægrè magis accepit. Sed versâ in rationem necessitate parueruntinon illi, vt de Atheniensibus ferunt, inerti, neque incruento cecidere

Cæs. 7. com.

Fl. l. 1. c. 18.

Iust. l. 5. bello : sed prœliati ad vltimum, victores etiam interdum, consumpti magis fortunæ varietate, quàm victi.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bella in Asia variâ fortunâ à Gallis gesta.

NOn dissimili fortuna res à Gallis in Asia gerebantur, eo ferè tempore : in disiunctissimis regionibus, *Sic res mortalium vertente ac moderante fato,* [a] *vt quæ hominum gens clades maximas alijs inuexerat, ipsa suo velut orbe ac ordine, maximis cladibus pulsaretur.* Ruentis in Oriente Gallici imperij initium, ab Attalo Pergami rege; ab hoc victi acie, congesto diu auro spoliati sunt; breuissimo tempore amissis opibus, quas longâ annorum serie, & regionum euastatione comparauerant. Orto mox in Achæum Syriæ Tyrannum ab eodem rege Attalo, grauissimo bello ; Galli in ipsius Attali castris ingenti mercede conducti militarunt : profligato hoste Hellespontiacam oram cum liberis & vxoribus incoluere. Tum frequentibus prædis dites, finitimarum gentium inuidiam & odium ex prosperis rebus in se conciuere. ac ne diu comparatis rebus potirentur, Alexandrinorum aliorumque populorum coniuratione, sed à Prusiâ inprimis Bithyniæ Rege expulsi sunt.

A V. C. DLX. Polyb. l. 5 Liuius l. 38.

A V. C. DLXI.

Hic rerum imperiorumque certas incertasque vices demirari licet. Ecce tibi gentem illam Asiæ olim formidabilem, dominam Orientis, & solo nominis sui terrore tributa à maximis Regibus extorquentem, Fortuna (vt [b] ei summam in res prosperas & aduersas vim inesse intelligas) in eorum quos armis domuerat imperium arbitriumque traduxit. Sic illa genuina Gallorum ferocitas, sic propria nominis Gallici ac virtutis militaris gloriæ laus, vt frugum semina mutato sole ac solo [c] plerumque degenerant, Asiaticâ amœnitate paulatim emollita, [d] luxu ac peregrinis infecta moribus, vt plus amissum nertia quàm bello

Flo 2 c. 11.

aut victoriâ olim quæsitum facilè dicas, elanguit ac consenuit.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

Galli à Romanis in Asia debellati.

SEd longè atrocior à Romanis clades. Fuerant Galli inter Antiochi Syriæ Regis stipendiarios, quorum virtute victor euaserat: sed cùm Seleucum Antiochi fratrem in prælio cecidisse crederent, inuadendæ Asiæ spe incitati, in ipsum Antiochum versis armis, eò redegere, vt auro se redimere cogeretur. nec ita multò post ab Eumene Rege Bithyniæ tentati sunt, & aliquantò longiùs ab Asiæ dominatione summoti. Seleuco tamen & Antiocho fratribus, Ptolemæo Ægypti, Eumene Bithyniæ Regibus Asiæ inhiantibus, sparsis tot viribus, quibus tuta esse debuerat, impune ab Gallis diripiebatur. compressi tamen ab Ærolis, donec iis per Romanos victis ac libertate, quam illibatam aduersus dominationem Atheniensiùm ac Spartanorum inter tot Græciæ ciuitates soli seruauerant, exutis; tota Romanorum vis in Gallos latè Asiam occupantes incubuit. Inde belli noui principium natum conflatumque est, atque eò promptius animum adiecerunt Romani, quòd vindicandæ à Gallico iugo Asia studio flagrantissimè tenerentur: nisi verius immodicam in Manlio [a] triumphanti cupiditatem bello maximo causam præbuisse dixerimus. ac negatus quidem victori triumphus. is [b] adductis in belli societatem aliquot vicinis gentibus, vt securior ac expeditior in hostem inueheretur, prudentiâ id assequutus est, quod viribus se haud quaquam posse callidus imperator diffidebat. Namque addita virtuti fraus victoriam insigniter promouit; vt non tam bello quàm furto, vicisse diceretur. distractis etiam feliciter à mutuâ societate Gallorum Regulis, quibus vt par erat in commune [c] sentien-

Iust. l. 28.

quem Tauricornem appellabant, profligatum iri prædixerat. quo ferè temporum tractu Massiliam quòd contra veterem amicitiæ fidem pro Phocensibus conditoribus suis Antiochi & Aristonici Asiæ Regum bello, infesta contra Pop. Rom. arma tulerat, Senatus deleri iusserat. Sed missis Romam Legatis, veniam obtinuere Massilienses: nec enim fas erat tot antiqua fidelissimæ ciuitatis officia, vnius erroris culpâ aboleri. *Iust. l. 37.*

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Galli Tectosages in Asia profligati.

HÆc ad Olympum montem feliciter à Romanis gesta sunt. Inde Manlius victor mouit castra, & in Tectosagos anno insequente progressus est. Penè ab hostibus fraude interceptus, a cùm ad colloquium cum Gallorũ Regulis ineundum properaret: sed suspectâ dudum Gentis fide, monitis qui illico adessent, si quid fraudis subesset, seruatus à suis, in castra reuertitur, irâ simul & dolore stimulatus. nec inulta diu Gallorum fraus: namque expugnatis eorum munimentis, eò redegit victricem nuper Asiæ ac totius prope Orientis gentem, vt omissis sponsionum fideique pignoribus, acceptâ deditione, in perpetuam pacem se Romanis tradiderit, eam demum fortunam quam victores b dedissent victi admitterent, habitura. Neque tamen hîc prætereundum est insigne Ortiagontis Gallorum Reguli vxoris factum, in viro nedum in muliere memorabile. Hæc à Centurione stuprum per vim passa, quanquam *mens c impudicam facere, non casus soleat*, in pœnam tamen tanti sceleris, stupratoris caput reuulsum à ceruice, præclaro ac singulari exemplo, ad maritum detulisse fertur. laudatum ab hostibus facinus, quo insignis mulier, viri iniuriam ac suam virtute ingenui pudoris vindicauerat. *Liu. 38. Flo. 2. c. 11. Sen. Hipp.*

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Macedonicum cum Perseo.

Cæs. l. 3. Iust. l. 32.

His peractis, victis ac deditis agri assignati, in quibus XVII. circiter annos quieti vixere. Donec pacis gens impatiens, ingenio suo ad mouendum turbandumque prona, bellum cum Perseo Macedonum Rege, quippe Philippus pater Gallos ingenti apparatu ad belli societatem perpulerat, redintegraret. Incitati ab eo Rege, ingentibusque promissis allecti Galli, ij potissimum qui nuper Thraciam insederant, Scordiscos appellabant, & ad Danubij Sabique confluentem consederant in Pannonia, applicuere se a Macedonibus pro Perseo militantibus. Itaque in Romanos plurimi expeditique aduolant. Sed agente in transuersum Fortunâ regem, negato quod pactus fuerat auro, illusi; euastatis quâcumque iter fuit regionibus, reuersi sunt. erat tunc Gallorum in Thracia Rex Clondicus. quantùm Persei vires debilitauit Gallorum discessus, tantùm Romanorum auxit animos: nam breui à P. Æmylio absens victus, quippe qui gerenda ducibus bella mandauisset, Perseus; mox victori traditus, Romam insigni triumpho deductus est, redactâ in prouinciæ formam Macedoniâ.

Clonicus. Liu. 44. A. V. C. DLXXXII.

CAPVT VICESIMVM.

Galli Scordisci in Thracia fusi.

Coscónium.

Hoc fere tempore, querentibus Prouincijs se à Gallis qui Thraciam, vt dictum est, incolebant, & Scordisci vocabantur, euastari; bellum in eos susceptum est per M. Cæsonium Prætorem, ac celeriter confectum compulsis in suas terras Gallis.

Sic quiescentibus ad Orientem Gallicis tumultibus, in Italiam, vnde nuper redactis in potestatem Boijs digressi fueramus, stylum referamus.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Galli à Romanis moderatè habiti.

PAce igitur cum Gallis Cisalpinis eo, quo diximus, modo compositâ, ne superbæ auaræque dominationis fastidio aut odio turbarent, victi toties ferro, humanitate & legum sanctitate vincuntur, tam pronâ in Romanos voluntate, a vt subesse tam iusto imperio priscæ libertati præponerent: vt *firmissimum est id imperium quo obedientes gaudent*. Sed quadriennio pòst, cùm vltro quiescentes M. Furius Prætor vexaret, in mediâ pace turbas concitans, publicæ tranquillitatis, optatique tot annos otij malaciam, instar violenti turbinis excussit. *Nunquam nimirum ijs destituta est Respublica, qui malos imitati medicos semper aliquid ægri esse volunt, vt sit ad cuius curationem adhibeantur, & in re turbida diteſcant*, ad hæc honores quos quietâ Rep. desperant, perturbatâ consequi se posse arbitrantur. Audiit Gallorum querelas Æmylius Cos. damnatus Prætor, restitutæ Cœnomannis, ij imprimis vexari se questi fuerant, res vi iniuriâque ablatæ, b visum omnibus habitumque sanctum & augustum Romanorum imperium, quod tanta iustitia, integritasque comitabantur.

A. V. DLXIII. *M. Æmilio Lepido & C. Flaminio Coss. Liu. l. 8. Liu. 39. Liuius. Cic 2. Catil.*

Nec dissimili ratione excepti Transalpini, quanquam extructâ trans suas Alpes ciuitate fixisque ibidem arcibus, Romanos in se vehementer concitassent, iterumque velut ad nouas sedes quæritandas in Italiam descendissent. Sed iussi, aut, vt verius dicam, à Marcello Consule persuasi, ne quid temerè in Romanos vltra molirentur, vt *suasio ab eo qui iubere potest vim necessitatis adfert*, abstinere. quo factum, vt à Senatu amplissimis muneribus

A V. C. DLXVII. *Tac. 14. ann.*

Herod l. 1. affecti & laudati, dimitterentur. Ita *tanta moderationi obtemperare omnes,* [c] *sua quemque voluntas adigebat, quos seruire nulla vis, nulla necessitas coegisset. Nunquam enim imperia detrectant, qui non* [d] *violenter ac contumelioſe habentur.* Tertio exinde anno interiecto cùm rursum Galli in Italiam transgressi, agrum à Senatu peterent, vt pacati sub imperio Pop. Rom. essent, excedere Italiâ iussi sunt.

Liu. l. 40. *A. V. C.* D L. XXI.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Alpinæ Gallorum gentes subiugatæ.

Liu l. 43. *Zon. to. 2* *A. V. C.* D L. XXX.

PErtuasit Galliam vniuersam, tam singularis Romanorum humanitas; itaque [a] perspectâ eâ imperij moderatione post nouennium, de C. Cassio Longino Prætore per Fratrem suum Gallorum Regulus Cincibilis conquestus est; expilatam quasi flagrante bello [b] prouinciam, hostilem in modum habitos populares, multa superbè & insolenter commissa, nec vllum nefariæ dominationis exemplũ passim in vrbibus, agris, prædiis omissũ. Sed cùm negligentiùs [c] Romani super eâ re consulerent, quasi iam innatã Romanis moderationẽ nimiæ opes corrupissent: nec in absentem reum quicquam Senatus decerneret, ad arma velut ex nimio iam otio ventum est: quamque legibus [d] diu frustra submiserant, exacto circiter decennio velut data ad recipiendum spiritum requie, ferro quæsiuere vltionem. Deo quodam assiduè incitante, ne rubiginem ac situm arma vix bene condita seruirent. Ligures inter Macrum & Varum amnes, inuis Alpium iugis adhærentes, dumis se occultabãt: quò maior inuenire quàm vincere erat labor: reperti tamen cùm eorum latebras ignibus sepsisset Fuluius Cõsul, & partim cædendo saltum aperuisset, facilè profligati sunt. namque venantium modo, hostium tanquam ferarum latibula scrutati Romani plerosque confodere. Cæteri belli societate coniuncti (Salyos,

A. V. C. DXCI. *Fl. l. 2. c 3.*

Deccates, Oxybios & Euburiates vocabant) ita exarmati, vt non modo rebellandi in posterum licentia, sed vix ferrũ relinqueretur, quo agros idem subigerẽt: quippe e *Parum est impune malè fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur.* Nec longo annorum interuallo *Salassorum* gens ad Padi fontes posita, in Romanos ausa est insurgere. *Causa belli, eadem quæ cæterorum, libertatis amor*, cum Romanæ superbiæ & auaritiæ odio iunctus: *Omnes enim homines natura libertati student, & conditionẽ seruitutis oderunt.* illi prima belli impressione Appium Claudiũ Consulem cæsis decem Romanæ iuuentutis millibus vicerunt, postrarũtque. Sed cùm victoriâ suâ in hostiũm contemptum elati abuterentur, f vt *difficile est in maxima licentia prosperisque rebus moderari sibi*, g *& quasi frænos cupiditatibus imponere*; feriantibus, interque epulas passim oscitãtibus superuenit improuisus ex fugâ Appius, feroces compescuit animos, cæsisque hostium vi. millibus cladem superiorem restaurasse visus est. Petitus à victore ingenti ambitu triumphus (nam lege constitutum erat, vt qui tot hostes in acie peremisset, triũphandi haberet potestatem) sed cum acceptæ cladis primo prælio nondũ ex hominum mentibus excidisset memoria, ab Senatu repulsam passus, ambitioso ac sordido more priuatis sumptibus, egregius imperator triumphauit.

Sall. Iug.

Cæs. 3. Bel. Gall.

A. V. C. DCVII.

Herodian. l. 1.

Oros. l. 5. c 4.

Anacephalæosis.

TOt annorum spatio, tot præliorum conflictu, tot cladium impendio, populus Romanus pro Italiæ principatu cum Gallis Cisalpinis ita contendit, vt per tot sæcula diiudicari non potuerit, Gallicis Romanisne in castris plus esset roboris; & iudicatu difficile, vter aliquãdo populus alteri foret pariturus. Sed virtus tandem principis gentium populi cum Fortuna comite, Cisalpinas Gallorum gentes, ad eam pacem perduxit, vt quæ maximis bellis propè nunquam vacauerant, eæ innatis sibi ac familiaribus vacarent incur-

Patere. lib. 2.

sionibus, postquam pertinacissimè Romanis plùs D. annis obstitisset. Quis iam inficias eat, esse imperiorum velut orbem, & florentissimas gentes è tenui principio ortas, præfixis à Fortuna a temporibus vigere; *Certis enim cuncta temporibus nasci debent, crescere, extingui.* Quæ vbi attigerint, excusso velut rerum suarum ac diuturnæ felicitatis flore, marcescere quasi inductâ senectute. Germaniam, quà longè excurrit Danubius, occupauerat, Asiam insederat, Macedoniam domuerat, Thraciã. Illyricum, Italiam penè totam & Pyrenæos vltra Celtiberiam, aliasque orbis regiones, Gallorum gens nec ita breui annorum spatio tenuerat; tot locis, tot prouinciis, tot regnis passim aut pulsa, [b] aut deuicta iugum subiit, quod aliis imposuerat. Neque vero puduit [c] post exactum Italia Pyrrhum profligatum Hannibalem domitamCarthaginem, subiugatam Africam, Perseum triumphatum, deletam septuagesimo anno quam condita erat Carthaginem, fortunam [c] sequi victoris tot gentium, populorum ac Ducum populi. Hunc finem habuit Romani imperij æmula gens, cum quâ ab ipso pene imperij exordio bellare Romani cœpere, tantâ vtriusque populi pertinaciâ, vt aut bellum, aut belli præparatio, aut infida pax extiterit.

Sen Cons ad hel.

A. V. C DCXII.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Bellum ab Italia in Galliam translatum.

VErùm claudi Alpibus non poterat tanti imperij a moles, cuius tot vltra maria propagati essent longè latéque termini. Quippe Romani non contenti Italiæ terminis, imperium spe improbâ totius orbis amplexi, bellum cum omnibus Regibus gerebant. Exacti Italia Galli, quasi nefas esset iuxta imperij eorum terminos esse, qui non legibus parerent. Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæque, totius denique Africæ Asiæque

Iust l. 28.

imperium aliis aliisque temporibus occupauerant. Intacti hactenus qui Pyrenæo, Alpibus, vtroque Oceano, ac Rheno validissimis septi ac vallati munimentis; quorum nepotes Romanos ita bello diu exercuerant, vt prope imperio suo summisissent. Sed his tandem domitis, cupido incessit referendi in eas sedes belli, vnde olim eruperant. Facilem fore per domitas Gallias in Germanos aditum: nec nisi subiugatis hominum fortissimis dominam orbis Romam adoraturos populos, aut Tybri Oceanum decessurum, hoc nimirum erat clarissimæ ac bellicosissimæ gentis fatum, vt Romanis aliquando pareret: nec nisi post quadringentos fœdissimæ seruitutis annos pristinum splendorem cum libertate per Francos recuperaret. *Fl l. 1. c. 10.*

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Galli in Thracia identidem profligati.

ACne interim impunè Orientem Galli diti-perent, dum in Occidente armis Romanorum peterentur, missi cum ingentibus copiis, qui tumultuantes coercerent. Compressi nuper à M. Cæsonio, quiescere diu non potuere: sed cùm maiori a disciplinâ pugnarent quàm priùs, L. Siue Caium Catonem cum exercitu penitus concisso profligarunt. Hac elati victoriâ, in proximas prouincias torrentium instar liberiùs diffudere sese, nec à crudelitate sibi temperantes in captiuos. Litare diis suis sanguine humano, e bibere in ossibus capitum, & huiusmodi ludibrio fœdare mortem ram igni quàm fumo: partus quoque grauidarum extorquere tormentis consueuerant. Hos igitur vagos & liberâ populatione diffusos Titus Didius intra suam repulit Thraciam. Nec diu tranquillos, sed in populi Romani socios irrumpentes Liuius Drusus exegit: & Danubii ripam vetuit excedere, verùm d *dediscit animus serò quod didicit diu.* Itaque redeuntibus identidem ad

A. V. C. D c. XXXVI. Eutrop l. 4 Flo. 3. c. 4.

A. V. C DC. XXX. IIX. Sen. Troad.

A. V. C. DCXL. solitas populationes Scordiscis, (nam eo nomine Galli, qui Thraciam insederant, appellabantur) occurrit cum exercitu improuisus Minutius Rufus. is victoriam, quam habere bello non poterat, furto e rapuit incautis, quippe commisso prælio, collocatis in obscuro æneatoribus, vno impetu classica hinc inde strepere imperat, vt noui subsidij opinione hostes fallerentur. Tum illi rei nouitate exterriti fugere per concretum glacie Hebrum; sed rupto amne equitantium onere, rapidis vorticibus hausti absortique sunt plurimi. Interposito aliquot annorum interuallo, peregrinantibus velut Romanorum armis, grauissimoque bello in Mithridatem Ponti regem, quem Gallogræci variis beneficiorum muneribus illecti iam ante sequebatur, occupatis; de recuperando Asiæ imperio meditantur: pertractisque ad belli societatē f vicinis gentibus Dardanis, Dalmatis ac Mœsis, Rempublicam in ancipites metus adduxere. In hos Sylla Lucius, is qui mox anno interiecto author pessimi facinoris fuit, proscriptis in Republicā optimis quibusque, sed contrariæ factionis hominibus, mouit: ac pace cum Mithridate tertiū victo & castris exuto factâ, partim vicit, alios in fidem accepit, nec tessatum tamē à pristinis direptionibus; distracto enim factionibus potentium imperio, ac triumuirali g potissimùm potestate afflicto, in gentes finitimas veteri gentis more irrumpunt; tantúmque adepti sunt potentiæ, vt ab Augusto imperatore (cuius amicitiam h ac societatem virtute sibi comparauerant) in Pannonios ab iugo impositō resilientes euocati, sub Tiberio Legato meruerint.

Front. c. 4. l. 2 strat.

Iust. l. 38.

A. V. C. DCLX.

Eutrop. l. 5.

Dio. l. 5.

Hæc strictim diuersis gesta temporibus attigimus: ne intermissis identidem grauissimis sæpe Galliarum bellis, eò reuerti ac reflecti stylus orationis cogeretur. Cæterū, ita se rebus in Oriente habentibus, ad inuadendas Gallias maximo apparatu Romana se potentia accingebat. Dedit Fortuna ambitioni locum, vt non imperij cupiditate, sed sociorum causa, mouere in Gallos Romani viderentur. *Sic est profectò, populus Romanus sociis defendendis terrarum omnium potitus est.*

Cic 3. de rep.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Veteris Galliæ, descriptio.

SEd [a] priusquam Transalpinæ Galliæ fines Romanæ legiones ingrediantur, facturus operæ pretium videor, totam eius imaginem; situm, & populos multitudine innumerabiles, locis infinitos, in breuissima quasi [b] tabella proponere: vt eâ velut vno intuitu perspectâ & cognitâ: quæ tandem, & vbinam gesta bella fuerint, ac quibus illata populis vltrò possint vnicuique occurrere. Nam faciliùs cuiusque rei species, si exhibeatur, quàm distincta locis & temporibus, oculis animisque hominum inhærere solet; itaque antequam ea attingamus, quæ à diuersis imperatoribus suscepta & gesta bella sunt, statui rem sæpius cogitatam animo, signare stylo: hoc est, veterem ipsius Galliæ typum imaginemque ac totam eius magnitudinem, non inutili rerum notitia in arctum cõtractam delineare: ac huic deinde tabellæ subiicere, qui quasque Galliæ partes populi olim incoluerint, quæ ciuitates clariores, ante Romanorum primam in Gallias impressionem floruerint; cætera ad maiorem historicæ veritatis ac dignitatis nitorem haud intempestiuè subtexturi. *Faciam igitur quod solent qui terrarum situs pingunt; in breui quasi tabella totam eius magnitudinem amplectar.* *Flo. in Prol.*

GAllia omnis, vt patet ex tabellâ, & iam alibi prædiximus, initio inclusa fuit ab Ortu Rheno, Alpium parte & Varo fluuio: à meridie interno mari, Pyrenæis montibus ab Occidentali plagâ Gallico Oceano; à Septentrionibus Britãnico. Sed postquam Galli ad quæritandas nouas sedes Alpium inuicta iuga transcenderunt; dimidia ferè Italiæ pars ad Rubiconem tenuissimum amnem, in Gallorum iura ac nomen concessit. omne autem hoc terrarum spatium duas in partes diui-

sum fuit; in Transalpinam vlteriorem, quæ Galliam propriè dictam comprehendit; & Cisalpinam, quæ Italica eademque citerior & Togata dicta fuit. Sed de illâ posteriori neque huius loci est, neque præsentis instituti disserere.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

De Gallia Transalpina.

TRansalpina in duas itidem portiones à cultu habituque corporis, in Comatam & Braccatam, distributa à veteribus fuit. Hæc mox Narbonensis, Romanorum prouincia, & altera quasi Italia; quòd eam Romani primum occuparint, appellabitur: Mediterraneis fluctibus alluitur, Varo amne Alpibusque ab Italia discreta, Pyrenæis ab Hispaniâ Garumna & Rhodano flumine, ac Gebenna monte in Aruernis separatur. Comata verò quæ ad Oceanum & Germanos spectat, à tribus à populis, Aquitanis, Celtis, ac Belgis; in Aquitanicam, Celticam, & Belgicam fuit diuisa.

Cæs. l. de Bel. Gall.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

De Gallia Narbonensi.

IN [a] Braccata siue Narbonensi Gallia, quæ hodie Languedocium siue Occitaniam, Sabaudiam, Delphinatum, & Prouinciam continet, præcipui fuere populi Allobroges, quorum princeps ciuitas Vienna, ad Rhodanum, *Vienne*. Centrones in Alpibus, quorum oppida Axima, *Centron* & Tarantasia, *Tarantaise*. Segalauni, horum Valentia in ripa Rhodani, *Valence*. Vocontij, quorum duæ ciuitates insignes olim Dia Vocontiorum *Die* & Vasio *Vaison*. Caturiges in Alpibus maritimis, eorum oppidum Caturigomagus,

P Mel. l. 2. c 5

Chorges,

Chorges, forsan Eberodunum *Embrun*. Cauares siue Gauares: primaria ciuitas Auenio, *Auignon*, pontificiæ ditionis. Salyes siue *Salyi*, vbi Aquæ Sextiæ, *Aix*. his vicina Massilia nobilissima Phocensium Colonia, *Marseille*, & Arelate Sextanorum, *Arles*. Velauni *Velay*, oppidum eorum, Anicia, *Le Puy*. Gabali *Giuaudan* metropolis. Mimate, *Mende*, aliis *Lodeſue*, Ruteni *Rouergue*, quorum vrbs Segodunum, *Rhodais*. Heluij, *Albigeois*; primaria vrbs Albia siue Albaugusta, *Alby*. sunt qui Heluios ad sinistram Rhodani ripam statuant: Vulgo *Viuarets*. caput gentis Castrum Viuario, *Viuiers*. Volcæ in Tectosages, quorum oppidum Tholosa *Thoulouſe*: & Aremoricos, quorum princeps ciuitas *Nemausus*, *Nismes* diuiduntur: vtraque gens nunc *le Languedok*. sunt & alij populi, vt Nitiobriges, *Agenois*: oppidum eorum Aginnum, *Agen*, quanquam non desint qui Nitiobrigas Monspelienses faciat, & Vticenses vulgo *Monpellier & Vzez*. Garoceli, Inalpini prope montem Cibennicum *Montcenis*, dictum. Veragri, quorum vrbs Octodorus *Sainct Maurice*. Accusij, Colonia Accusiorum *Grenoble*: aliique, sed non ita celebres. Cæterum ea regio omnis agrorum cultu, virorum dignitate, morum elegantiâ, vrbium amplitudine, claritudine opum, nulli prouinciarum postponenda; eoque olim habita in pretio à Romanis, vt & noua Italia & Prouincia Romanorum diceretur. *Pomp. Mela. l. 2. c. 5.*

CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

De Gallia Aquitanica.

AQuitania à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat. Inter occasum solis & Septentriones: quæ pars, & regionum latitudine, & multitudine hominum, ex tertia parte Galliæ est existimanda. Huius regionis quæ Cæsaris *Cæs. l. 1. Bel. Gal. Pomp. Mel lib. 3.*

primum, inde Augusti diuisionem comprehendit, insignes populi extitere olim complures: Auscorum siue Asciorum, Elusaberris, siue Augusta Asciorum *Aux*, *Auche*, Nouempopulaniæ caput, regio nunc *Armagnac* dicitur. Vasatum præcipua vrbs *Bazas*. regio *Albret* dicitur. Begerrorum siue Bigerrionum, vulgo *Bigorre*, Tarba, *Tarbe* Tarbelliorum oppidum, aquæ Tarbellicæ *d'Acqs* Precianorum, vt nonnulli putant *Bearn*, oppidum præcipuum *Po* Cadurcorum vulgo. *Quercy*. oppida clarissima, Ducona siue Deuona, *Cahors*, & Vxellodunum *Cadenac*. alij *Vssoldun*, vt ab incolis appellatur Podium Vxelloduni *Le puech d'Vssoldun* Petticoriorum siue Petrogoriorum, *Perigort*, oppidum est Vesonna seu Vesuna, *Perigueux* Auernorum, *Auuergne*, primaria ciuitas est Gergouia, Cæsarianâ clade insignis, *Clermont*. Boiorum, *Bourbonnois*, oppidum fuit Boia, forsan *Bourbon*, Lemouicum, *Limosin*, ciuitas princeps Ratiastum, *Limoges*. Biturigum Cuborum, *Berry*, ad differentiam *Viuiscorum*, *Bordeaux*, clarissimum oppidum Auaricum *Bourges*: furor est alium ab ea vrbem appellare *Viarron* Pictonum, *Poictou*, vrbs amplissima & florentissima Augustoritum siue Limonum, *Poictiers*. Santonum oppidum fuit Mediolanum, vulgo *Xaintes*, Regio *Xaintonge*. Vbi & Santonum portus Rupellam dicimus *La Rochelle*. Hi omnes populi vt terrarum amplitudine, sic rerum quondam gestarum famâ præ cæteris nobiles extitere: nam & totius Galliæ principatum diu Bituriges Arŭenique tenuerunt; nec iis generosiŭs vlli Galliarum populi, Romanorum opibus ac potentiæ pro libertate suâ obstitere, vt sequenti libello apertè demonstrabimus.

Alij Hause.

CAPVT VICESIMVM NONVM.

De Gallia Celtica.

GAlliæ Celticæ, quam etiam Lugdunensem à nobilissimo oppido appellamus, populi vt olim sic & nostra celebres ætate, quanquam plurimorum vetus appellatio desierit, plurimi extitere. hi inter a Matronam, Sequanam, & Ligerim amnes & Oceanum positi sunt. atque vt ab vltimo oræ Britannicæ in mare excursu incipiamus, Osisini seu rectius Osismij, qui & iidem Sismij ac Timij apud Stranonem dicuntur, oppidum habuere vt ferunt Vorganium vulgò *Guinguand*, alij *Landriquet*. Veneti Vindanam *Vannes*. Nannetes ad Ligerim fluuium Condiuincum *Nantes* Curiosolitæ alij Coriosopites Coriosopitum, *Cornuaille* seu *Quinperkorentin*. Rhedones Condate *Redon* rectius *Rennes*, Diablintres seu Diablintes, de quibus non ita inter Geographos constat, oppidum habuere vulgo, *Leondou'*, in Armorica. alij Belgas faciunt, ad Geram fluuium: nonnulli inter Cenomannos statuunt; eisque oppidum assignant Nouiodunum, vulgò *Mayne* Cenomanni Vindinum siue Vidunum primarium oppidum coluere, *Le Mans*. rectius fortasse *Vandôme*. Vnelli ignorantur: hos enim ad oram maritimam habitasse asserunt, eisque Crociatonum oppidū vulgò *Quaretam* attribuunt: alij Perticenses esse cōtendunt *Le Perche*, quorum oppidum est Nongentum *Nogent* siue Neomagus Carnures pro vrbe primariâ Autricum vulgò *Chartres* antiquissimū Galliarum oppidum est, & Druidarum sacerdotū patria, à quib⁹ dicta est etiā vrbs qua vulgò *Dreux*, pugnâ in Hæreticos nobilitata Est etiam in Carnutum finibus Genabū ad Ligerim vulgò *Orleans*. Lexbuij siue Lexobij oppidū quod vulgò *Lisieux* appellamus, quidam Noulomagum. Eburonicus ciuitatem habent primariam Mediolanum.

Strab. l. 4. Geog.

Cæs. l 1 de Bel Gal.

Bureux. Sesuni vel potius Sesuuij Sagiuni, vulgò *Seez*. Ambiliates; hi oppidum habent vulgò *Auranches*. Bellocasses seu Verocasses oppidum habent Nouiomagum vulgò *Bayeux*. Parisij omnium iam clarissimi Lucetiam, Lutetiam siue Leucotetiam, vtà diuersis scriptoribus nominatur, incoluere; vulgò *Paris*, totius Galliæ caput. Senones antiquissimi Gallorum Agendicum *Sens*. Tricassij seu Tricasses Augustobonam, *Troyes*. Ædui, siue Hedui Augustodunum, vulgò *Austun*, hi Romanorum fratres dicti. Mandubij Alexiam clarissimam olim vrbem, sed cuius hodie, vt & multarū, vix extant vestigia, vulgò *Alize* in Burgundia, Velleius Aleſiam vocat. Segusiani populi, Foresianos nonnulli vocant, *Forest*, oppidum habent Forum Segusianorum, vulgò *Fours en Forest.*, nec desunt qui in Segusianis Lugdunum ponant, vulgò *Lyon*. multi etiam Segusianos seu Sebusianos esse contendunt, quos vulgò *la Bresse* appellamus. horum oppidum itidem Forum Sebusianorum, vulgò *Bourg en Bresse*.

Paterc. l. 4.

CAPVT TRIGESIMVM.

De Gallia Belgica.

SVpereſt ea Galliæ pars, quæ Rheno Rhodanoque amnibus, lacu Lemanno, vulgò *Lac de Geneue*, Matronâ & Sequanâ itidem fluuiis, & Oceano clauditur Britannico. Huius populi præ cæteris bello semper excelluere, ob continentes cum finitimis Germanis, à quibus se ortos prædicant, pugnas. hinc fortissimi a Gallorum habiti Belgæ: eamque veteris famæ ac virtutis laudem hodiernis temporibus constantissimè retinent. Horum præcipui sunt Taxandri, quos inter Mosam & inferiorem Brabantiæ, vt vocant, partem, ad Schaldim & Oceanum constituunt, Grudiis, idest Brugensibus & Amabiuaritis; Antuerpiensibus finitimos, vulgo Zelandios appellamus. alij forsan rectius eam regionem incoluisse putant, quæ nunc

Am. Mar. l. 15.

Cæs. l. 1. & 2 de Bel. Gall.

Kempen. Vbi & Taxandrum oppidum, vulgò *Tessenderlóo*, hos ad horam maritimam insequuntur Menapij, vulgò *Gueldres*: eorumque oppidum Castellum Menapiorum *Kessel* appellatur. Inde Morini notissimi, quos extremos hominum fuisse veteres putauere, oppidum habuerunt Taroanam, vulgò *Terouanne*, siue illud quod Monstrolium dicimus, *Monstreul*: his in finibus fuit Iccius portus Morinorum nauales; sed dubium est inter scriptores, quod oppidum & cuius nominis olim fuerit: nam alij Caletum fuisse putant, hodie *Calais*, vnde breuissimus est in Britanniam traiectus: multi Bononiam vulgò *Boulongne*: nec desunt qui Fanum Audomari esse contendant, vulgò *Sainct Omer*, persuasi nimirum partim loci situ, vbi sinum maris olim capacissimum fuisse indicant, partim vetusto vrbis nomine, quo *Sithieu*, quasi dicas sinus Itij, vocitabatur. Sed non nostrum est inter eos tantas componere lites; primis tamen vltro assentior: nec minori opinionum diuersitate Gessoriacus portus inter Geographos distrahitur. non tamen probatur mihi eorum sententia, qui eundem cum Itio faciunt: eò inclinat animus, vt putem Bononiam fuisse. Morinos excipiunt Ambiani, quorum oppidum erat Samonabriga siue Samarobrina vulgò *Amiens*. Bellouaci horum primaria vrbs, Cæsaromagus à Cæsare dicta, vulgò *Beauuais*. Caletes siue Calici hodie *le pays de Caux*, ad Sequanæ ostia pertingunt, horum caput Iuliobona nunc *Dieppe*, aliis *Honfleur*, portu nobilis. Aulerci quos & Vellocassios putant, præcipuam habent ciuitatem Rothomagum, vulgò *Rouen*, nobilissimum Gallorum emporium. Plinius Rotomagum Vlcynetium vocat. Atrebates *Artois*. oppidum eorum Regiacum vulgò *Arras*. Neruij oppida habuere duo, Tornacum *Tournay*, & Cameracum *Cambray* olim, vt volunt nonnulli, Samarobrinam. His finitimi Essui fuere, hodie vt putant aliqui *Retelois*. Eburones quibus Condrusi, Segni, Cæresij & Pœmani annectuntur, & inter Germanos olim censebãtur, oppidum habuere præcipuum Leodium siue Leodicum nunc *Liege*. his Veroman-

dui. *Vermandois* pro vrbe primaria habent Augustam Veromanduorum, hodie Fanum D. Quintini, vulgò *Sainct Quentin*. Suessiones quorum item oppidum Suessionum Augusta, *Soissons*. Remorum vrbs præcipua Durocororum vulgò *Rheims*. Treuerorum pari ratione Augusta, nunc *Treues* siue *Trier* Mediomatricum princeps ciuitas Diuiodurum fuit, hodie *Metz*, aliis *Thionville* Leuci, Tullum & Virodunum, siue Verodunum, vulgò *Toul & Verdun*, qui & Tulingi dicti, nunc *Lorainois* ditionis Francicæ per Henricum II. Regem: nec desunt qui Leucos Luceburgenses esse putent. Lingones Audomatum seu Audomatuuum habuere, nunc *Langres* Meldæ Iatinum, vulgò *Meaux*. Rauracorum Augusta, modò *Basle*. Heluetij inter veteres Galliæ populos annumerantur. horum pagi quatuor Cantones illi vocant. Tigurinus *Zurich* Tugenus *Zug*. Ambro. *Emme* & Vrbigenus vulgò *Orbe*. Nunc Heluetia omnis, præter fœderatos populos, in tredecim partes, Cantones dicimus, illi patriâ linguâ *Ort*, Latini Pagos, distribuitur: qui fœdere perpetuo ad communis libertatis defensionem cæso Leopoldo Duce in prælio, anno Christi circiter MCCCC. coiere. cuiusmodi sunt Tigurum *Zurich*. Berna *Berne*, Lucerna *Lucerne*, Vria *Vri*, Suitia *Scuis*, à qua ciuitate genti vniuersæ nomen inditum est. Vnderualdia, *Vnderuald* Tugium *Zug*. Glarona *Glaris*. Basilea *Basle*. Friburgum, *Fribourg*. Salodorum, *Soleurre*. Scaphusium *Scafouze*. & Abbatiscella, *Apentzel*. His vicini sunt Seduni Alpibus finitimi; horum caput Sedunum, *Syon*. & Nantuates, siue Vantuates, vulgò *pays de Vaud*, quorum Auenticum, vulgò *Auenche* præcipuum oppidum. hi secundùm Lemanni ripam prope Veragros. finitimi etiam sunt Heluetiis Latobrigi. horum oppidum *Lozanne* ad lacum. Trebocci ad Rhenum, vrbem habent primariam Argentoratum, vulgò *Strasbourg* Nemetes quorum oppidum est Nouiomagus, nunc *Spire*. forsan Nemetocerna, nisi melius *Namur* Vangiones Moguntiacum habuere, vulgò *Mentz*, *Mayence*. nec de-

Simlerus. l. 1. de Rep. Hel.

sunt tamen qui Vangiones Spirenses esse existimant, vt & Nemetes VVormatienses. Tum sequuntur secundo flumine Vbij, quorum oppidum Colonia Agrippina, fuit vulgò *Colegne*. Batavi denique ad Rheni ostia insulasque positi sunt, vulgus Hollandos vocat, militari disciplina, vt olim, sic & nostrâ, vt prædiximus, ætate insignes. his ad fines ij qui Caninefates, vulgò *le pays de Gordz*. ibi Traiectum, nunc *Vtrecth*. & Lugdunum Batauorum, *Leyden*. præcipua hodie gentis ciuitas Amsterodamum *Amsterdam* appellatur. Cæterùm omnium [a] clarissimi Gallorum fuere Belgæ, namque iis etiam Heluetij bellicosissimi continentur.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

De statu siue Politia veteris Galliæ.

IN ipsa Gallia sic à nobis accuratè per suos distincta populos, vixit vniuersa gens, quot nominibus, tot ciuitatibus, imperiis ac magistratibus discreta: eo scilicet rerum statu, vt neque vniuersa vnius imperio regeretur: neque singulæ ciuitates, vel in populi, vel in Optimatum potestate essent, sed ita diuisa in LXIV. ciuitates Gallia fuit, vt pleræque [a] optimatum consilio regerentur, quæ liberæ dicebantur: Cæteræ Reges habebant: omnes porrò hoc tenuere institutum, vt certo anni tempore publicum gentis cõcilium agerent: quo, quæ ad reipublicæ summam pertinere videbantur, constituerent. tamdiu autem inuicti Galli, donec mutuis inter se dissidiis lacerati ac profligati, exteros in sui perniciem exitiumque euocarent. Tum Romani veluti è speculâ quadam libertati omnium inlidiati, Gallorum ciuitates quæ dominandi libidine, singulæ imperare cogitauerant, omnes in suam aliis aliisque temporibus potestatem redegere. quæ *dominationis cupiditas omnibus populis* [b] *regnisque certum semper exitium intulit*. Nam &

Tac. l. 3. Strab. l. 4. Hottom l. l. 1 Gallo Fr. initio.

Græciæ quondam ciuitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdidere: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, & omnibus perire quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Sed de iis sequentibus libris agendum est.

Finis Libri secundi.

FLORI GALLICI,

LIBER TERTIVS.

HACTENVS ea quæ ab veteribus Gallis contra exteros in diſſunctiſſimis regionibus vario Fortunæ ſucceſſu geſta ſunt, duobus libellis complexi ſumus. Duobus itidem ſequentibus enumerare conabimur, quâ ratione è libertate priſtinâ excidentes, propter inſanam dominandi libidinem, vt iam præmonuimus, capitalibus inter ſe odiis & a factionibus diſſidentes, in Romanorum iura tandem conceſſere. Poſteriori demum operis parte, exactos Galliis Romanos, excitatumque à Francis florentiſſimum orbis terrarum imperium demonſtrabimus.

CAPVT PRIMVM.

Bellum in Salyos gestum à Romanis.

Flo. l. 3 c. 2. A. V. C. DC. XXV. Cic. Philip. 5. Strab. l. 4. Pater. l. 1.

PRima igitur trans Alpes Romanorum arma sensere Salyi, cùm de incursionibus eorum, fidissima atque amicissima ciuitas Massilia quereretur: cuius ciuitatis miserias nemo erat ciuis Rom. qui à se alienas arbitraretur. In hos Fulvius Flaccus cum aliquot legionibus missus, nullâ re memorabili gestâ reuersus est. Creuit inde Salyorum audacia; vt liberiùs quàm antea & latiùs grassarentur. Itaque biennio intercepto, Caius Sextius Exconsul cum numerosissimo exercitu eò profectus, susceptam superiori expeditione maculam rebus feliciter gestis deleuit. Nam ferocem gentem leuibus aliquot præliis repressit; extructâque eâ, quam Aquas sextias vocant, coloniâ, quasi vallo Salyorum impetus, non tam coercuit, quàm futuræ & iam incuntis dominationis fundamenta iecisse visus est. *Sic honestè sociorum obtentu imperium tacitè proferebant Romani, quorum cum nationibus, populis, Regibus cunctis, vna & vetus bellandi causa fuit: cupido imperij ac diuitiarum.*

Cic. 3. de Rep.

CAPVT SECVNDVM.

Bellum Allobrogum & Aruernum.

ALlobroges [a] deinde & Aruerni, [b] cum aduersus eosdem similes Æduorum querelæ opem & auxilium enixè ab renatu flagitarent, Romanorum ingentes copias in Galliam exciuere. nempe ita erant laxandæ fores Galliarum Romanis, quà illi irrumperent, gentem mox vniuersam armis oppressuri: nec vlla bella cupidè à Romanis suscepta vnquam fuisse putem: quippe qui subsidij nomine, augeri vltra Alpes imperium suum latè, suis & Gallorum viribus frangi G allos fla

grantissimè optarent. Duplici acie vincuntur à Cn. Domitio Ænobarbo, primùm apud Vndalum vrbem, vbi Sulgas e fluuius, quem etiam Vindelicii vocant, Rhodano commiscetur: cæsis Gallorum ferè xx. millibus. Inde à Q. Fabio Maximo Æmiliano profligãtur ad Isaræ & Rhodani confluentẽ, quanquam ex ducentis sociorum millibus Aruernorum (ij cæterorum facilè principes erant) acies consiaret. Romanorum longè inferior numerus vix duo supra xxx. armatorum millia in armis: vt d *non multitudine ac ferociâ, sed virtute militum ac consilio Ducum constare victoriam intelligas: non enim vires habet militum multitudo, sed pondus: & impedimentum maius quam auxilium* Varus, quẽ nuper Galliam inter & Italiam medium esse amnem diximus; & e impiger fluminum Rhodanus, tantæ victoriæ testes extitere: hoc enim depressis scaphis infinita Gallorum multitudo hausta submersaque est. Centum & quinquaginta è Gallis M. periisse, ægrè adducor vt credam; cùm Romanorum quindecim desiderati numerentur. Sed nihil æquè Gallis nocuit eâ in clade, ac elephanti in id tempus Genti incogniti: horũ cùm magnitudine, tum deformitate, & nouo simul colore, fœtidore, odoreque insolito consternati equi, (nã Gallorũ præcipuus erat equitatus) cùm incognitas sibi belluas, amplius quàm erant suspicarentur, excussis sessoribus huc illuc curritantes, fugam stragemque latè dederunt: quod ipsum Romanis contra Pyrrhum olim pugnantibus euenerat. Domitij ex Aruernis, Fabij Maximi ex Allobrogibus, quàm nobilis extiterit victoria, argumento est cum triũpho celebri, victæ vtriusque gentis agnomen: vt virtute comparatum, sic sine inuidia vllius, tantis concessum delatumque imperatoribus: nam Fabio Pauli nepoti ex victoriâ cognomen Allobrogico inditum est. Nunquam populus Romanus hostibus domitis in hunc vsque diem victoriam exprobrauerat, nec si vincerentur, f minuti animi, neque si vincerent, fecundis rebus insolescere g consueuerant. Vicit tum primum moderatione Romanorum, hostium superbia: vt qui Romanis

A V. C. pc xxvii Fl l 3. c. 2 Eutr. l. 4. Oros. l 5. c. 14. Strab. l 4. Senec. Liu. l. 5. Flor. l. b. 1, c. 18. Paterc 1. Marc. 15 Iustin. lib. 31

A. V. C. DCXL. solitas populationes Scordiscis, (nam eo nomine Galli, qui Thraciam insederant, appellabantur) occurrit cum exercitu improuisus Minutius Rufus. is victoriam, quam habere bello non poterat, furto [e] rapuit incautis, quippe commisso prælio, collocatis in obscuro æneatoribus, vno impetu classica hinc inde strepere imperat, vt noui subsidij opinione hostes falleretur. Tum illi rei nouitate exterriti fugere per concretum glacie Hebrum; sed rupto amne equitantium onere, rapidis vorticibus hausti absortique sunt plurimi. Interposito aliquot annorum interuallo, peregrinantibus velut Romanorum armis, grauissimoque bello in Mithridatem Ponti regem, quem Gallogræci variis beneficiorum muneribus illecti iam ante sequebatur, occupatis; de recuperando Asiæ imperio meditantur: pertractisque ad belli societatē [f] vicinis gentibus Dardanis, Dalmatis ac Mœsis, Rempublicam in ancipites metus adduxere. In hos Sylla Lucius, is qui mox anno interfecto author pessimi facinoris fuit, proscriptis in Republicâ optimis quibusque, sed contrariæ factionis hominibus, mouit: ac pace cum Mithridate tertiū victo & castris exuto factâ, partim vicit, alios in fidem accepit, nec testatum tamē à pristinis direptionibus; distracto enim factionibus potentium imperio, ac triumuirali [g] potissimùm potestate afflicto, in gentes finitimas veteri gentis more irrumpunt; tantūmque adepti sunt potentiæ, vt ab Augusto imperatore (cuius amicitiam [h] ac societatem virtute sibi comparauerant) in Pannonios ab iugo imposito resilientes euocati, sub Tiberio Legato meruerint.

Front. c. 4. l. 2 strat.

Iust. l. 38.

A. V. C. DCLX.

Eutrop. l. 5. Dio. l. 54.

Hæc strictim diuersis gesta temporibus attigimus: ne intermissis idētidem grauissimis fæpe Galliarum bellis, eò reuerti ac reflecti stylus orationis cogeretur. Cæterū, ita se rebus in Oriente habentibus, ad inuadendas Gallias maximo apparatu Romana se potentia accingebat. Dedit Fortuna ambitioni locum, vt non imperij cupiditate, sed sociorum causa, mouere in Gallos Romani viderentur. *Sic est profectò, populus Romanus sociis defendendis terrarum omnium potitus est.*

Cic 3. de rep.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Veteris Galliæ, descriptio.

SEd [a] priusquam Transalpinæ Galliæ fines Romanæ legiones ingrediantur, facturus operæ pretium videor, totam eius imaginem; situm, & populos multitudine innumerabiles, locis infinitos, in breuissima quasi [b] tabella proponere: vt eâ velut vno intuitu perspectâ & cognitâ: quæ tandem, & vbinam gesta bella fuerint, ac quibus illata populis vltrò possint vnicuique occurrere. Nam faciliùs cuiusque rei species, si exhibeatur, quàm distincta locis & temporibus, oculis animisque hominum inhærere solet; itaque antequam ea attingamus, quæ à diuersis imperatoribus suscepta & gesta bella sunt, statui rem sæpius cogitatam animo, signare stylo: hoc est, veterem ipsius Galliæ typum imaginemque ac totam eius magnitudinem, non inutili rerum notitia in arctum cõtractam delineare: ac huic deinde tabellæ subiicere, qui quasque Galliæ partes populi olim incoluerint, quæ ciuitates clariores, ante Romanorum primam in Gallias impressionem floruerint: cætera ad maiorem historicæ veritatis ac dignitatis nitorem haud intempestiuè subtexturi. *Faciam igitur quod solent qui terrarum situs pingunt; in breui quasi tabella totam eius magnitudinem amplectar.* *Flo. in Prol.*

GAllia omnis, vt patet ex tabellâ, & iam alibi prædiximus, initio inclusa fuit ab Ortu Rheno, Alpium parte & Varo fluuio: à meridie interno mari, Pyrenæis montibus ab Occidentali plagâ Gallico Oceano; à Septentrionibus Britãnico. Sed postquam Galli ad quæritandas nouas sedes Alpium inuicta iuga transcenderunt; dimidia ferè Italiæ pars ad Rubiconem tenuissimum amnem, in Gallorum iura ac nomen concessit. omne autem hoc terrarum spatium duas in partes diui-

sum fuit ; in Transalpinam vlteriorem , quæ Galliam propriè dictam comprehendit; & Cisalpinam, quæ Italica eademque citerior & Togata dicta fuit. Sed de illâ posteriori neque huius loci est, neque præsentis instituti disserere.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

De Gallia Transalpina.

TRansalpina in duas itidem portiones à cultu habituque corporis , in Comatam & Braccatam, distributa à veteribus fuit. Hæc mox Narbonensis, Romanorum prouincia, & altera quasi Italia ; quòd eam Romani primum occuparint, appellabitur: Mediterraneis fluctibus alluitur, Varo amne Alpibusque ab Italia discreta , Pyrenæis ab Hispaniâ Garumna & Rhodano flumine , ac Gebenna monte in Aruernis separatur. Comata verò quæ ad Oceanum & Germanos spectat , à tribus a populis, Aquitanis, Celtis, ac Belgis ; in Aquitanicam, Celticam, & Belgicam fuit diuisa.

Cæs. l. de Bel. Gall.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

De Gallia Narbonensi.

IN [a] Braccata siue Narbonensi Gallia, quæ hodie Languedoxium siue Occitaniam, Sabaudiam , Delphinatum , & Prouinciam continet, præcipui fuere populi Allobroges, quorum princeps ciuitas Vienna, ad Rhodanum, *Vienne*. Centrones in Alpibus, quorum oppida Axima ; *Centron* & Tarantasia, *Tarantaise*. Segalauni, horum Valentia in ripa Rhodani, *Valence*. Vocontij, quorum duæ ciuitates insignes olim Dia Vocontiorum *Die* & Vasio *Vaison*. Caturiges in Alpibus maritimis , eorum oppidum Caturigomagus,

P Mel. l. 2. c 5

Chorges,

Chorges, forsan Eberodunum *Embrun*. Cauares siue Gauares: primaria ciuitas Auenio, *Auignon*, pontificiæ ditionis. Salyes siue *Salyi*, vbi Aquæ Sextiæ, *Aix*. his vicina Massilia nobilissima Phocensium Colonia, *Marseille*, & Arelate Sextanorum, *Arles*. Velauni *Velay*, oppidum eorum, Anicia, *Le Puy*. Gabali *Giuaudan* metropolis. Mimate, *Mende*, aliis *Lodesue*, Ruteni *Rouergue*, quorum vrbs Segodunum, *Rhodais*. Heluij, *Albigeois*; primaria vrbs Albia siue Albauguſta, *Alby*. sunt qui Heluios ad sinistram Rhodani ripam statuant: Vulgo *Viuarets*. caput gentis Castrum Viuario, *Viuiers*. Volcæ in Tectosages, quorum oppidum Tholosa *Thoulouse*: & Aremoricos, quorum princeps ciuitas *Nemausus*, *Nismes* diuiduntur: vtraque gens nunc *le Languedok*. sunt & alij populi, vt Nitiobriges, *Agenois*: oppidum eorum Aginnum, *Agen*, quanquam non desint qui Nitiobrigas Monspelienses faciat, & Vticenses vulgo *Monpellier & Vzez*. Garoceli, Inalpini prope montem Cibennicum *Montcenis*, dictum. Veragri, quorum vrbs Octodorus *Sainct Maurice*. Accusij, Colonia Accusiorum *Grenoble*: aliique, sed non ita celebres. Cæterum ea regio omnis agrorum cultu, virorum dignitate, morum elegantiâ, vrbium amplitudine, claritudine opum, nulli prouinciarum postponenda; eoque olim habita in pretio à Romanis, vt & noua Italia & Prouincia Romanorum diceretur. *Pomp. Mela. l. 2. c. 5.*

CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

De Gallia Aquitanica.

Cæs. l. 1. Bel. Gal. Pomp. Mel lib. 3.

AQuitania à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat. Inter occasum solis & Septentriones: quæ pars, & regionum latitudine, & multitudine hominum, ex tertia parte Galliæ est existimanda. Huius regionis quæ Cæsaris

primum, inde Augusti diuisionem comprehendit, insignes populi extitere olim complures: Ausciorum siue Asciorum, Elusaberris, siue Augusta Asciorum *Aux*, *Auche*, Nouempopulaniæ caput, regio nunc *Armagnac* dicitur. Vasatum præcipua vrbs *Bazas*. regio *Albret* dicitur. Begerrorum siue Bigerrionum, vulgo *Bigorre*, Tarba, *Tarbe* Tarbelliorum oppidum, aquæ Tarbellicæ *d'Acqs* Precianorum, vt nonnulli putant *Bearn*, oppidum præcipuum *Po* Cadurcorum vulgo. *Quercy*. oppida clarissima, Ducona siue Deuona, *Cahors*, & Vxellodunum *Cadenac*. alij *Vssoldun*, vt ab incolis appellatur Podium Vxelloduni *Le puech d'Vssoldun* Petricoriorum siue Petrogoriorum, *Perigort*, oppidum est Vesonna seu Vesuna, *Perigueux* Auernorum, *Auuergne*, primaria ciuitas est Gergouia, Cæsarianâ clade insignis, *Clermont*. Boiorum, *Bourbonnois*, oppidum fuit Boia, forsan *Bourbon*, Lemouicum, *Limosin*, ciuitas princeps Ratiastum, *Limoges*. Biturigum Cuborum, *Berry*, ad differentiam *Viuiscorum*, *Bordeaux*, clarissimum oppidum Auaricum *Bourges*: furor est alium ab ea vrbem appellare *Viarron*. Pictonum, *Poictou*, vrbs amplissima & florentissima Augustoritum siue Limonum, *Poictiers*. Santonum oppidum fuit Mediolanum, vulgo *Xaintes*, Regio *Xaintonge*. Vbi & Santonum portus Rupellam dicimus *La Rochelle*. Hi omnes populi vt terrarum amplitudine, sic rerum quondam gestarum famâ præ cæteris nobiles extitere: nam & totius Galliæ principatum diu Bituriges Arueniique tenuerunt; nec iis generosiùs vlli Galliarum populi, Romanorum opibus ac potentiæ pro libertate a suâ obstitere, vt sequenti libello aperte demonstrabimus.

Alij Hause.

CAPVT VICESIMVM NONVM.

De Gallia Celtica.

GAlliæ Celticæ, quam etiam Lugdunensem à nobilissimo oppido appellamus, populi vt olim sic & nostra celebres ætate, quanquam plurimorum vetus appellatio desierit, plurimi extitere. hi inter a Matronam, Sequanam, & Ligerim amnes & Oceanum positi sunt. atque vt ab vltimo oræ Britannicæ in mare excursu incipiamus, Osisini seu rectius Osismij, qui & iidem Sismij ac Timij apud Stabonem dicuntur, oppidum habuere vt ferunt Vorganium vulgò *Guinguand*, alij *Landriquet*. Veneti Vindanam *Vannes*. Nannetes ad Ligerim fluuium Condiuincum *Nantes*. Curiosolitæ alij Coriosopites Coriosopitum, *Cornuaille* seu *Quinperkorentin*. Rhedones Condate *Redon* rectius *Rennes*, Diablintres seu Diablintes, de quibus non ita inter Geographos constat, oppidum habuere vulgo *Leondou'*, in Armorica. alij Belgas faciunt, ad Getam fluuium: nonnulli inter Cenomannos statuunt, eisque oppidum assignant Nouiodunum, vulgò *Mayne* Cenomanni Vindinum siue Vidunum primarium oppidum coluere, *Le Mans* rectius fortasse *Vandôme*. Vnelli ignorantur: hos enim ad oram maritimam habitasse asserunt, eisque Crociatonum oppidũ vulgò *Quaventam* attribuunt. alij Perticenses esse cõtendunt *Le Perche*, quorum oppidum est Nongentum *Nogent* siue Neomagus Carnutes pro vrbe primariâ Autricum vulgò *Chartres* antiquissimũ Galliarum oppidum est, & Druidarum sacerdotũ patria, à quib⁹ dicta est etiã vrbs qua vulgò *Dreux*, pugnâ in Hæreticos nobilitata. Est etiam in Carnutum finibus Genabũ ad Ligerim vulgò *Orleans*. Lexouij siue Lexobij oppidũ quod vulgò *Lisieux* appellamus, quidam Noviomagum. Eburonicus ciuitatem habent primariam Mediolanum,

Cæs. l. 1 de Bel Gal.

Strab. l. 4. Geog.

Eureux. Sesuni vel potius Sesuuij Sagium, vulgò *Seez*. Ambiliates; ht oppidum habent vulgò *Auranches*. Bellocasses seu Verocasses oppidum habent Nouiomagum vulgò *Bayeux*. Parisij omnium iam clarissimi Lucetiam, Lutetiam siue Leucotetiam, vt à diuersis scriptoribus nominatur, incoluere; vulgò *Paris*, totius Galliæ caput. Senones antiquissimi Gallorum Agendicum *Sens*. Tricassij seu Tricasses Augustobonam, *Troyes*. Ædui, siue Hedui Augustodunum, vulgò *Austun*, hi Romanorum fratres dicti. Mandubij Alexiam clarissimam olim vrbem, sed cuius hodie, vt & multarũ, vix extant vestigia, vulgò *Alize* in Burgundia, Velleius Alesiam vocat. Segusiani populi, Foresianos nonnulli vocant, *Foresi*, oppidum habent Forum Segusianorum, vulgò *Fours en Foresi*, nec desunt qui in Segusianis Lugdunum ponant, vulgò *Lyon*, multi etiam Segusianos seu Sebusianos esse contendunt, quos vulgò *la Bresse* appellamus. horum oppidum itidem Forum Sebusianorum, vulgò *Bourg en Bresse*.

Paterc. l. 4.

CAPVT TRIGESIMVM.

De Gallia Belgica.

SVperest ea Galliæ pars, quæ Rheno Rhodanoque amnibus, lacu Lemanno, vulgò *Lac de Geneue*, Matronâ & Sequanâ itidem fluuiis, & Oceano clauditur Britannico. Huius populi præ cæteris bello semper excelluere, ob continentes cum finitimis Germanis, à quibus se ortos prædicant, pugnas. hinc fortissimi a Gallorum habiti Belgæ: eamque veteris famæ ac virtutis laudem hodiernis temporibus constantissimè retinent. Horum præcipui sunt Taxandri, quos inter Mosam & inferiorem Brabantiæ, vt vocant, partem ad Schaldim & Oceanum constituunt, Grudiis, idest Brugensibus & Amabiuaritis Antuerpiensibus finitimos, vulgo Zelandios appellamus. alij forsan rectius eam regionem incoluisse putant, quæ nunc

Am. Mar. l. 15.

Cæs. l. 1. & 2 de Bel. Gall.

Kempen. Vbi & Taxandrum oppidum, vulgò *Tessenderloo*, hos ad horam maritimam insequuntur Menapij, vulgò *Gueldres*: eorumque oppidum Castellum Menapiorum *Kessel* appellatur. Inde Morini notissimi, quos extremos hominum fuisse veteres putauere, oppidum habuerunt Taroanam, vulgò *Terouanne*, siue illud quod Monstrolium dicimus, *Monstreul*: his in finibus fuit Iccius portus Morinorum nauales: sed dubium est inter scriptores, quod oppidum & cuius nominis olim fuerit: nam alij Caletum fuisse putant, hodie *Calais*, vnde breuissimus est in Britanniam traiectus: multi Bononiam vulgò *Boulongne*: nec desunt qui Fanum Audomari esse contendant, vulgò *Sainct Omer*, persuasi nimirum partim loci situ, vbi sinum maris olim capacissimum fuisse indicant, partim vetusto vrbis nomine, quo *Sithieu*, quasi dicas sinus Itij, vocitabatur. Sed non nostrum est inter eos tantas componere lites; primis tamen vltro assentior: nec minori opinionum diuersitate Gessoriacus portus inter Geographos distrahitur. non tamen probatur mihi eorum sententia, qui eundem cum Ictio faciunt: eò inclinat animus, vt putem Bononiam fuisse. Morinos excipiunt Ambiani, quorum oppidum erat Samonabriga siue Samarobrina vulgò *Amiens*. Bellouaci horum primaria vrbs, Cæsaromagus à Cæsare dicta, vulgò *Beauuai*. Caletes siue Calici hodie *le pays de Caux*, ad Sequanæ ostia pertingunt, horum caput Iuliobona nunc *Dieppe*, alijs *Honfleur*, portu nobilis. Aulerci quos & Vellocassios putant, præcipuam habent ciuitatem Rothomagum, vulgò *Rouen*, nobilissimum Gallorum emporium. Plinius Rotomagum Vlcynetium vocat. Atrebates *Artois*. oppidum eorum Regiacum vulgò *Arras*. Neruij oppida habuere duo, Tornacum *Tournay*, & Cameracum *Cambray* olim, vt volunt nonnulli, Samarobrinam. His finitimi Essui fuere, hodie vt putant aliqui *Retelois*. Eburones quibus Condrusi, Segni, Cæresij & Pœmani annectuntur, & inter Germanos olim censebãtur, oppidum habuere præcipuum Leodium siue Leodicum nunc *Liege*. his Veroman-

dui *Vermandois* pro vrbe primaria habent Augustam Veromanduorum, hodie Fanum D. Quintini, vulgò *Sainct Quentin*. Suessiones quorum item oppidum Suessionum Augusta, *Soissons*. Remorum vrbs præcipua Durocotorum vulgò *Rheims*. Treuerorum pari ratione Augusta, nunc *Treues* siue *Trier* Mediomatricum princeps ciuitas Diuiodurum fuit, hodie *Metz*, aliis *Thionville* Leuci, Tullum & Virodunum, siue Verodunum, vulgò *Toul & Verdun*, qui & Tulingi dicti, nunc *Lorainois* ditionis Francicæ per Henricum II. Regem: nec desunt qui Leucos Leuburgenses esse putent. Lingones Audomatum seu Audomatunum habuere, nunc *Langres* Meldæ Iatinum, vulgò *Meaux*. Rauracorum Augusta, modò *Basle*. Heluetij inter veteres Galliæ populos annumerantur. horum pagi quatuor Cantones illi vocant. Tigurinus *Zurich* Tugenus *Zug*. Ambro. *Emme* & Vrbigenus vulgò *Orbe*. Nunc Heluetia omnis præter fœderatos populos, in tredecim partes, Cantones dicimus, illi patriâ linguâ *Ort*, Latini Pagos, distribuitur: qui fœdere perpetuo ad communis libertatis defensionem cæso Leopoldo Duce in prælio, anno Christi circiter MCCCC. coiere. cuiusmodi sunt Tigurum *Zurich*. Berna *Berne*, Lucerna *Lucerne*, Vria *Vri*, Suitia *Scuis*, à qua ciuitate genti vniuersæ nomen inditum est. Vnderualdia, *Vnderuald* Tugium *Zug*. Glarona *Glaris*. Basilea *Basle*. Friburgum, *Fribourg*. Salodorum, *Soleurre*. Scaphusium *Scafouze*. & Abbatiscella, *Apentzel*. His vicini sunt Seduni Alpibus finitimi: horum caput Sedunum, *Syon*. & Nantuates, siue Vanruates, vulgò *pays de Vaud*, quorum Auenticum, vulgò *Auenche* præcipuum oppidum. hi secundùm Lemanni ripam prope Veragros. finitimi etiam sunt Heluetiis Latobrigi. horum oppidum *Lozanne* ad lacum. Trebocci ad Rhenum, vrbem habent primariam Argentoratum, vulgò *Strasbourg* Nemetes quorum oppidum est Nouiomagus, nunc *Spire*. forsan Nemetocerna, nisi melius *Namur* Vangiones Moguntiacum habuere, vulgò *Mentz*, *Mayence*, nec de-

Simlerus. l. 1. de Hel.

sunt tamen qui Vangiones Spirenses esse existimant, vt & Nemetes VVormatienses. Tum sequuntur secundo flumine Vbij, quorum oppidum Colonia Agrippina, fuit vulgò *Colegne*. Bataui denique ad Rheni ostia insulasque positi sunt, vulgus Hollandos vocat, militari disciplina, vt olim, sic & nostrâ, vt prædiximus, ætate insignes. his ad fines ij qui Caninefates, vulgò *le pays de Gordz*. ibi Traiectum, nunc *Vtrecth*. & Lugdunum Batauorum, *Leyden*. præcipua hodie gentis ciuitas Amsterodamum *Amsterdam* appellatur. Cæterùm omnium [a] clarissimi Gallorum fuere Belgæ, namque iis etiam Heluetij bellicosissimi continentur.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

De statu siue Politia veteris Galliæ.

IN ipsa Gallia sic à nobis accuratè per suos distincta populos, vixit vniuersa gens, quot nominibus, tot ciuitatibus, imperiis ac magistratibus discreta: eo scilicet rerum statu, vt neque vniuersa vnius imperio regeretur: neque singulæ ciuitates, vel in populi, vel in Optimatum potestate essent, sed ita diuisa in LXIV. ciuitates Gallia fuit, vt pleræque [a] optimatum consilio regerentur, quæ liberæ dicebantur: Cæteræ Reges haberent: omnes porrò hoc tenuere institutum, vt certo anni tempore publicum gentis cõcilium agerent: quo, quæ ad reipublicæ summam pertinere videbantur, constituerent. tamdiu autem inuicti Galli, donec mutuis inter se dissidiis lacerati ac profcissi, exteros in sui perniciem exitiumque euocarent. Tùm Romani veluti è speculâ quadam libertati omnium inuidiati, Gallorum ciuitates quæ dominandi libidine, singulæ imperare cogitauerant, omnes in suam aliis aliisque temporibus potestatem redegere. quæ *dominationis cupiditas omnibus populis* [b] *regnisque certum semper exitium intulit*. Nam &

Tac. l. 3. Strab. l. 4. Hottom l. l. Gallo Fr. initio.

Græciæ quondam ciuitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdidere: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, & omnibus perire quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Sed de iis sequentibus libris agendum est.

Finis Libri secundi.

FLORI GALLICI,

LIBER TERTIVS.

HACTENVS ea quæ ab veteribus Gallis contra exteros in diſſunctiſſimis regionibus vario Fortunæ ſucceſſu geſta ſunt, duobus libellis complexi ſumus. Duobus itidem ſequentibus enumerare conabimur, quâ ratione è libertate priſtinâ excidentes, propter inſanam dominandi libidinem, vt iam præmonuimùs, capitalibus inter ſe odiis & a factionibus diſſidentes, in Romanorum iura tandem conceſſere. Poſteriori demum operis parte, exactos Galliis Romanos, excitatumque à Francis florentiſſimum orbis terrarum imperium demonſtrabimus.

CAPVT PRIMVM.

Bellum in Salyos gestum à Romanis.

Flo. l. 3 c. 2. A. V. C. DC. XXV. Cic. Phil. 5. Strab. l. 4. Pater. l. 1.

PRima igitur trans Alpes Romanorum arma sensêre Salyi, cùm de incursionibus eorum, fidissima atque amicissima ciuitas Massilia queretur : cuius ciuitatis [a] miserias nemo erat ciuis Rom. qui à se alienas arbitraretur. In hos Fuluius Flaccus cum aliquot legionibus missus, nullâ re memorabili gestâ reuersus est. Creuit inde Salyorum audacia, vt liberiùs quàm antea & latiùs grassarentur. Itaque biennio interiecto, Caius Sextius Exconsul cum numerosissimo exercitu eò profectus, susceptam superiori expeditione maculam rebus feliciter gestis deleuit. Nam ferocem gentem leuibus aliquot præliis repressit ; extructâque eâ, quam Aquas sextias vocant, coloniâ, quasi vallo Salyorum impetus, non tam coercuit, quàm futuræ & iam ineuntis dominationis fundamenta iecisse visus est. *Sic honesto sociorum obtentu imperium tacitè proferebant Romani, quorum cum nationibus, populis, Regibus cunctis, vna & vetus bellandi causa fuit : cupido imperij ac diuitiarum.*

Cic 3. de Rep.

CAPVT SECVNDVM.

Bellum Allobrogum & Aruernum.

ALlobroges [a] deinde & Aruerni, [b] cum aduersus eosdem similes Æduorum querelæ opem & auxilium enixè ab renatu flagitarent, Romanorum ingentes copias in Galliam exciuere. nempe ita erant laxandæ fores Galliarum Romanis, quà illi irrumperent, gentem mox vniuersam armis oppressuri : nec vlla bella cupidè à Romanis susceptа vnquam fuisse putem : quippe qui subsidij nomine, augeri vltra Alpes imperium suum lati, suis & Gallorum viribus frangi Gallos fla

grantissimè optarent. Duplici acie vincuntur à Cn. Domitio Ænobarbo, primùm apud Vndalum vrbem, vbi Sulgas [c] Huuius, quem etiam Vindelicũ vocant, Rhodano commiscetur: cæsis Gallorum ferè xx. millibus. Inde à Q. Fabio Maximo Æmiliano profligãtur ad Isaræ & Rhodani confluentẽ, quanquam ex ducentis sociorum millibus Aruernorum (ij cæterorum facilè principes erant) acies consisteret: Romanorum longè inferior numerus vix duo supra xxx. armatorum millia in armis: vt *non multitudine ac ferociâ, sed virtute militum ac* [d] *consilio Ducum constare victoriam intelligas: non enim vires habet militum multitudo, sed pondus: & impedimentum maius quam auxilium* Varus, quẽ nuper Galliam inter & Italiam medium esse amnem diximus; & [e] impiger fluminum Rhodanus, tantæ victoriæ testes extitere: hoc enim depressis scaphis infinita Gallorum multitudo hausta submersaque est. Centum & quinquaginta è Gallis M. perisse, ægrè adducor vt credam; cùm Romanorum quindecim desiderati numerentur. Sed nihil æquè Gallis nocuit eâ in clade, ac elephanti in id tempus Genti incogniti: horũ cùm magnitudine, tum deformitate, & nouo simul colore, stridore, odoreque insolito consternati equi, (nã Gallorũ præcipuus erat equitatus) cùm incognitas sibi belluas, amplius quàm erant suspicarentur, excussis sessoribus huc illuc curritantes, fugam stragemque latè dederunt: quod ipsum Romanis contra Pyrrhum olim pugnantibus euenerat. Domitij ex Aruernis, Fabij Maximi ex Allobrogibus, quàm nobilis extiterit victoria, argumento est cum triũpho celebri, victæ vtriusque gentis agnomẽ: vt vii iure comparatum, sic sine inuidia vllius, tantis concessum delatumque imperatoribus: nam Fabio Pauli nepoti ex victoriâ cognomen Allobrogico inditum est. Nunquam populus Romanus hostibus domitis in hunc vsque diem victoriam exprobrauerat, nec si vincerentur, [f] minuti animi, neque si vincerent, secundis rebus insolescere [g] consueuerant. Vicit tum primum moderatione Romanorum, hostium superbia: vt qui Romanis

A V. C. DC XXVII Fl l 3. c. 2 Eutr. l. 4. Oros. l 5. c. 14. Strab. l 4. Senec. Liu. l. 5.

Flor. l. b. 2, c. 18.

Pater. l. Marc. 15

Iustin. lib. 31

antè aciem ferociter illuserant, dignâ post cladem maximam ignominiâ afficerentur. Nam superbissimi Gallorum Regis, cui Bituito Bittóve nomen, fractâ potentiâ, placuit victoribus, ipsis quibus acies commissa fuerat, locis; saxeis turres erigere; ac desuper exornata armis exuuiisque hostilibus trophæa figere: ac vt suus religioni honos haberetur, quasi diis authoribus vicisset, Marti & Herculi templa Fabius extruxit. Sed nihil tam conspicuum Romanis, in hoc triumpho fuit, quàm Rex ipse *summo i tristis captiuus in arcu*, discoloribus in armis argenteoque essedo qualis pugnauerat. In tam illustri re mirari satis nemo poterit scriptorum varietatem. Victos ac prostratos ingenti strage Gallos, captúque in acie & in triumpho ductum Regem constat: quis vicerit penè non constat. quàm non suspecta eorum fides, qui Caio Cassio Longino, & S. Domitio Caluino Coss. tanti facinoris gloriam tribuunt? atque Domitio deditionem sui feciſſe Bituitum liquet.

Strab. lib. 4.

Iuuen. Satyr. 10.

Eutr. l. 4. Paterc. l. 1.

CAPVT TERTIVM.

Colonia Narbonem ducta.

TErtio deinde anno, Q. Martius Narbo Rex, in Galliâ coloniam, quæ ab eo Narbo appellata est, instituit; anno ferè vrbis conditæ DCXXXIII. M. Portio Catone, & Q. Martio Rege Coss. quanquam à ciuitate Romanum Ducem, non verò secus, appellatum fuisse, nonnulli affirment. Amplissimũ eius regionis emporium, supra exitum Atacis fluminis, ac Narbonensem lacum iacet. Martius domitis Stonis, siue vt quidam malunt Sarniis, (ea gens Allobrogibus finitima, ad Alpium radices sita fuit, Tricastinos suspicantur) ac ex vltimâ à rerum desperatione interfectis coniugibus ac liberis, in subiectum rogum se præcipitantibus, vt nihil hostis victor suarum rerum, præterquam incendii spectaculo frueretur, latè terrorem circumtulit, regionemque omnem ad

A V. C. 633. Eutr. 4 Oros 5. c. 14 Isid. in Etym Strab. l. 4.

Pyrenæos occupauit, ẽâ vrbe, quæ vniuersæ prouinciæ nomen dedit, tanquam arce quadam Gallorum excursiones velut fræno Romani continuere: ac liberi populi ceruicibus graues incubuere, ita sensim in Romanorum ditionem ac potestatem concedentibus Gallis, quos [b] discordia à mutuo in publicum consensu seiungebat; iam Principis terrarum opes augebantur: & vicina quæque velut contagione correpta aliis atq; aliis temporibus cæterorum fortunam sequebãtur. Sed nimirum vrgebant fata, destinatumque nomini Romano orbis imperium, ex aliorum disceptationibus comparabant. nec tamen cladibus, quibus nonnunquam conflictabantur, aliud victores didicere per tot annos, quàm [c] *Diuino nutu, non humanis viribus, imperia fundari ac stabiliri, eademque euerti: eterndque* [d] *constitutione ac nexu causarum latentium & multò ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.*

CAPVT QVARTVM.

Bellum Cymbricum.

NAmque his ferè temporibus obrui & extingui penitus potuerat Romanorum virtus, magnâ vndique barbarorum illuuie crescente; nec longè abfuisset ab suo interitu Roma, tunc cùm latius imperii sui fines propagabat, nisi ea tempora in C. Marium incidissent. Victis iuxta flumen Rhodanum, & ingenti internecione attritis Romanis, timor Romæ tantus fuit, quantus vix Hannibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Galli Romam properarent. Quippe [a] Cimbri (quos aliqui Cimmerios cum faciunt, rem Cimmeriis tenebris obscuriorem faciunt) adiunctis secum in belli, siue vt verius dicam, prædæ societatem Teutonibus, ac Tigurinis, similique hominum colluuie; ab extremis Galliæ partibus profugi, cum Oceani inundatione terræ eorum quibus alebantur, periissent; nouas sedes toto orbe quæsie-

Fl. l 3. c. 3. Eutr. l. 5. Plutarch. in Mario Oros. c. 15. l. 5. Paterc l. 2.

re, interiora Galliæ Italiæque subituri haud dubiè,
A. V. C. DCXLIV. ni Syllano, [b] Carbone, Scauro, L. Cassio, L. Pisone, C. Publio, Q. Cæpione (is aurum Tholosanum, vt prædiximus, malo suo fato extraxit è lacu) M. Manilio Atilio, aliisque Ducibus viris consularibus victis partim, partim cæsis ac singulari ignominiâ à victoribus affectis, C. ille Marius qui [c] omnia fortunæ suæ virtuti incrementa debet, vir alioqui nobilitatis nouæ, sed vel ob id perennis, terrenti omnia dissicienti ac transcendenti obicem posuisset. in anceps præruptumque periculum adductus populus Romanus, consilioque dudum incerto fluctuans, non alium repellendis tantis hostibus idoneum magis imperatorem arbitratus, in eum belli grauissimi molem transmisit; cuius singulari virtute acceptæ clades resarcirentur. In hunc finem multiplicatis Consularibus
A. V. C. DCXLVI. rerum summæ imperioque admouetur. Iamque præsens imminebat Romanorum prouinciæ periculum, cùm quantùm creatus Consul transportato vltra Alpes exercitu, circa Aquas Sextias cum
Eutrop. l. 5. Barbaris eo in loco qui nunc campus Martij, siuè C. Marij ager, ab incolis *la Camargue*, vbi nimirum castrametatus fuerat, non longe ab Arelato, conflixit: amplius CL. hostium millibus priore ac posterio die trucidatis, [d] vt gens Teutonum Cimbrorumque penitus deleretur. Quintò citra Alpes,
A. V. C. DCXLIX. quo alia Barbarorum colluuies incubuerat, cum Q. Catulo, cuius à parte felicius primum dimicatum ferunt, in patentissimo, quem Claudium vocant campo: cæsa ab eo aut capta in acie centum hominum millia. Theutobocchi eorum Regis captiuitate Cimbricus triumphus illustratus est. Memorabile apud posteros tanti imperatoris factum celebratur: quippe eo bello primùm victus,
Plut Paral. somno admonetur se victorem fore, si filiam Calpurniam immolaret: ille ciuium saluti [e] natæ vinculum postponens, priuatæ cladis immemor, si publicam repararet, aræ illico admouit immolauitque. Hoc facto visus est Marius id assequutus, ne eius nati Rempublicam pœniteret, [f] ac bonis mala compensasse; qui Iugurtham nuper victum

captumque Romam abduxerat, & hunc labantem & prope cadentem Rempublicam fulciuerat, hærentemque tenuissimo discrimine patriam sustentarat nec per homines, sed ipsos (si fas est credere) Deos tam lætum tamque felicem libertatis Italiæ assertique imperij [h] nuncium accepisse Pop. Rom. ferunt. Nam quo die res gesta est feliciter, rumor Cimbricæ victoriæ Romam peruasit: vt vno eodemque momento cùm in acie hostes occumberent, populus in vrbe [i] plaudens caneret epinicium. Hoc bello, Cimbrorum & sociorum CCCL. periere millia, capta LX extinctâ penitus gente, ac liberatâ tanto metu Româ, Allobrogum gentem cuius Vienna tunc erat metropolis, cum Salyorum tractu ad Massilienſium terras, reliquisque vltra Rhodanum agris ad Pyrenæos per oram Gallicam in prouinciæ formam Senatus redegit: quod antea Fabius Maximus, victus, vt dictum est, Allobrogibus meditatus fuerat. Sed Cimbricæ procellæ tempestatisque famâ, res magis dilata quam perfecta.

CAPVT QVINTVM.

Galliæ seruitus primùm imposita.

SIc imposita seruitus iis gentibus, quibus libertate nihil antiquius ac pretiosius vnquam visum fuerat: tum initæ cum finitimis societates; quibus suo tempore [a] ac loco, ad aliorum exitiũ, callidè Romani vterentur. Massilienses veteri consuetudine amicos, fide mehercule meliores quàm consilio, [b] Heduos fratres; Remos fœderatos ac socios, aliisque nominibus, quo faciliùs incautos deciperent, & iacto securiùs imperij superbissimi fundamento, gentem vniuersam furtim inuaderent, vocitabant. Galli interim oscitantes, [c] & velut animi stupore languidi, quibus scilicet nondum innotuisset insana Romanorum do-

Strab. l. 4.

minandi cupiditas, ſublatam nuper finitimis imo ciuibus ſuis libertatem, extructas arces, deductas Colonias, aliaque id genus in totius gentis ac nominis Gallici imperium parari, aut non aduertebant; aut ſi viderent, [d] ignaui ac molles patiebantur. Hærebant velut in ſpeculis Romanæ legiones, quæ non tam prædonum latrocinia, & barbarorũ impetus ſiſterent, quàm temporibus inſidiarentur, & ſi ex vſu e reſpublicæ videretur, in eorum quos fratres amicoſque appellabant, perniciem nihil nõ auderent, tanto plerumque faſtu, vt graſſatoribus aliquot deletis, quaſi reportatâ de totâ gente victoriâ, aut ſublato Viriatho, L. Craſſus Galliæ Prætor, triumphum ambiret enixiſſimè.

A.V. C. DC. LII

Salyi primi omnium Romanorum arma ſenſerant, primi rebellionem incœptantes, intempeſtiuæ ſeditionis pœnas dedere: extinctaque in ipſo ſui ortu belli fama eſt, per C. Cæcilium, aut Cælium, qui veritus ne cæteræ Gallorum gentes ad partes cõtagione accederent, [f] incredibili celeritate g tumultum compeſcuit. vt *magna plerumque incendia ex tenui fauillâ ſi neglexeris oriuntur; ſic ipſo initio ignem facile impedias, quem deinde, ſi vires ceperit, extinguere non poſſis.*

A.V. C. DC. LVI.

Curt l. 6.

CAPVT SEXTVM.

Bellum Sertorianum.

Plut. in Sert. Eutr. l. 6.

HIs temporibus Syllæ, Cinnæ & Carbonis aliorumque funeſtis ac cruentis ſeditionibus iactata reſpublica eſt, quâ tandem ægre compoſitâ, Sertorianum inde bellum exarſit: totamque adeò Hiſpaniam exul & profugus feralis a illius tabulæ, cæterum Romanus in Romanos armauit. Exhauſtâ per Syllam Dictatorem ciuitate, peregrinantibus velut in Aſiâ Romanorum armis, fiduciam cepit, Luſitanis ac Celtiberis, præcipuis Hiſpaniæ populis & à Gallis oriundis, imperatoris ſui cauſam & partes ſtrenuè tutantibus. Petendus erat per Gallias Sertorius, hinc agrorum

A.V. C. DCLXXII. Flo. 3. c. 22.

vastitates, vrbiumque direptiones secutæ sunt. missi illicò à Romanis qui Pyrenæorum fauces occuparent; Primus omnium C. Annius Salinatorem Sertorij Ducem qui cum validis præsidiis ea claustra insederat, disiecit, haud difficilè inde ipsos montes transmisit. Hunc Q. Cecilius Metellus ingentibus copiis succinctus, aliquantò post est insecutus. nec longâ mensium intercapedine, Domitius Prætor & Manilius in Sertorium profecti, ab Herculeio eiusdem promptissimo Duce magnâ occidione profligati sunt. Vno imperatore subnixa res Romana Sertorianis obsistere non poterat, ne dum officere. Additus Metello Cn. Pompeius, rerum gestarum famâ gloriâque notissimus imperator; huic nouæ copiæ cum nouâ belli mole traditæ sunt. Verùm pertæsi tot clades Galli, vastatis per tot annos exercitusque agris, cùm suarum rerum regionumque dispendio maximo, ab Italia Hispaniam vsque esset iter, coactis vndique copiis, Cn. Pompeio ausi sunt occurrere. Sed maior tanti viri virtus, [b] quàm vt à militari sine Duce turba & tumultuario delectu, sisteretur: itaque Romanis legionibus per Gallorum strages [c] in Hispaniam ferro & manu, tantus imperator, viam aperuit. Tandiu Gallia belli Sertoriani pœnas dedit, donec M. Perpenna vir prætorius gentis clarioris quàm animi, quem olim Syllana rabies proscripserat, Sertorium inter cœnam Oscæ octauo circiter & decimo anno, quam tumultus Sertorianus incœperat, interemisset. quo facinore [d] Romanis certa victoria, Sertorianis exitium, Hispaniæ Galliæque summa quies enata est.

A V. C. DCLXXX.

A. V. C. DCXC. Pater. l. 2.

CAPVT SEPTIMVM.

Vexata à Prætore Gallia.

FLagrante adhuc eo bello, subsidiis pressa, aliisque afflicta incommodis ac damnis Gallia, de Fonteio Prætore suo apud Senatum questa est per Legatos. Numquam clariùs innotuit, quanto sit

Cic. pro Font.

etiam malis præsidio diserti hominis eloquen-
a in eâ potissimùm ciuitate, in quâ pessimo cu-
que patronus nunquam defuit. Hunc non sua in-
nocentia, sed Ciceronis seruauit facundia. quo
Plutarch. in Lucul. circiter temporis tractu &c. Cotta vir Consularis rem præclarè in Gallos gessit: nec caruisset triumpho vir egregius, nisi fato præuentus hominem exuisset.

CAPVT OCTAVVM.

Bellum seruile Grassatorium.

INterim abundabat hominum multitudine Gallia. & sublatâ excurrendi in finitimos libertate, feraciſſima gentium a grassatoribus, vt monuimus, redundabat. præcipuus in Romanos, qui
Paterc l. 2. Flo. 3. c. 20. præsidiis hinc inde dispositis extructisque arcibus ferocès cohibebant, furor: nec dubius erat tumultus, si qui vexillum b rebellionis tolleret, adfuisset. Commodè factum, vt vix extincto Sertoriano bello, nihilo grauius velut è superioris belli cineribus exardesceret. Spartacus enim Chryso & Oenomao, cæterisque eiusdem fortunæ hominibus LXIV. fugitiuis, è ludo Lentuli gladiatorio
Liu l. 97. epist. profugiens, confluente vndique ac crescente in dies multitudine, grauibus damnis Italiam omnem afflixit, Gratum id rebellibus: nam huic effusa Gallorum c Germanorumque vis Casto, Canimoco, & Granico Ducibus prædæ magis quàm pugnæ voluntate sese adiunxit applicuitque. Sine sacramento, sine armis, (nam è viminibus pecudumque tegumentis clypeos sibi primùm, recoctoque ergastulorum ferro, gladios ac tela ingeniosâ in commune Reip. malum industriâ conflauerunt) in iusti exercitus numerum,
Tac. 1. ann. Plut. in M. Crasso. & quod mireris ampliùs, formam coaluit. nihil quippe discors, nihil turbidum inter tot dissimiles moribus, linguâ: sed ad vnum intenti omnes imperium, instar corporis vnius spiritu regebantur. Tam proiectæ audaciæ extiterunt, vt Romano

exercitui occurrentes, Vatinium & Claudium Prætores, L. Gellium & Cn. Lentulum Consules magnâ clade illatâ profligarent. Quæ victoria feroces b animos ad maximam spem, quia prima prouenerant, erexit, prona sibi omnia ac peruia fore stratis iam Romanis acie, dictitantes. De c inuadendâ ac diripiendâ vrbe Cassio ad Mutinam victo, deliberabant; cùm ab M. Licinio Crasso (is Romanorum ditissimus habitus est, Cæsaris ac Pompeij societate insignis) interceptis Gallis, ac xxx. circiter armatorum millibus deletis, cæteri cum Spartaco Duce in Siciliam fugam parant: sed nauigiis non suppetentibus, ad vnum conciſi, diu sustentato Romanorum impetu, dignam viris mortem oppetiere, & prælio animum quem supplicio debebant, reddidere.

App. in Hibericis. *Oros. A. V. C. DCXCIV.*

CAPVT NONVM.

Vasconum origo.

NEc prætereundum suo præsertim loco Vasconum, antequam ex Hispania in Galliam à Cn. Pompeio post sublatum Sertorium summouerentur, inuictæ virtutis argumentum: hi apud Caliagurrim iuxta Pyrenæos Vrbem obsessi oppressique ab eodem imperatore, a humanas carnes in vltimâ fame esitarunt: nec quidquam aliud in hac epulatione captabant nisi tantum ne esurirent, & longæ tædio obsidionis hostes suos fatigarent. Tandem æquis conditionibus in deditionem recepti, citra Pyrenæos in Conuenarum, quasi illuc sparsi conuenissent, regionem transportati; clarissimæ genti nomen dederunt.

Plut. in Sertor. *Fl. l. 3. c. 22.* *Iuuen. Sat. 15.*

CAPVT DECIMVM.

Galliarum quies ingens.

Paterc. l. 2. Eutr. l. 6.

DEmandatum his ferè temporibus A. Gabinij Tribuni Pl. lege Cn. Pompei Duci maximo in piratas bellum, qui non [a] latrociniorum, sed belli grauissimi more maria infestabant, orbemque Romanum classibus, non furtiuis expeditionibus terrebant, quo singulari celeritate [b] ac felicitate confecto, Mithridaticum tantò periculosius, quantò fortior qui bellum inferebat, administrauit. Nihil à Gallis memoriâ dignum gestum reperimus his temporibus: quippe superioribus damnis accisi penitus, præsentem rerum statum tantùm non abnuissent, vt probassent maximè, si contra libidinem auaritiamque Romanorum Magistratuum valido legum auxilio subnixi forent. Nam

Tac. 1 ann. *à natura tributum est omnibus, vt tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa malint.* Sed Allobroges à Sergio Catilinâ aliisque Coniuratis ad res nouas sollicitati turbauerunt: sed oppressâ Ciceronis tunc Consulis virtute [c] coniuratione, ab incœptis destitêre; cùm Cn. Pomptinius Prætor

Dio. l 37. Cotugnatum Allobrogum Ducem, qui regiones, quæ Romanæ ditionis erant, euastabat, ita profligasset, vt ei à Senatu triumphus decerneretur.

CAPVT VNDECIMVM.

Galliarum factiones ante Cæsarem.

SEcuta deinde Cæsaris [a] in Galliam expeditio, qua post nouennium, & continuas per id tempus pugnas, fortissimi hominum Galli imperio Romano tandem subiecti, non tam libertatem amisere suam, quàm reliquorum fortunam populorum sequuti sunt. Nec verò difficile fuit tanto potissimùm imperatori, gentem illam mutuis

A. V. C. DCXCV.

discordiis laceratam ac prosciſſam, cùm alio-
rum partes amplecteretur, debellare; Principibus
populis Heduis, Allobrogibus, & qui Galliæ Nar-
bonensis nomine continentur, ipsisque Rhemis,
pro Romanis, id est, pro suis hostibus, in popula-
res suos depugnantibus: ad hæc Principum, & ci-
uitatum factionibus inquieti omni hominum æuo
Galli, mobilitate & leuitate animi, nouis impe-
riis studentes rem Romanam cum Iulij Cæsaris *Cæs. l.*
potentiâ promouere insigniter: Nam cùm illi de *2. &*
Galliarum principatu disceptarent, & armis con- *6.*
tinenter contenderent; eo ipso, quem anxiè am-
biebant, spoliati sunt. præcipua Heduorum, & Se-
quanorum, & Aruernorum contentio: illi Roma-
norum freti potentiâ, hi Germanorum, quos
mercede conductos ad suum auxilium euocabant,
viribus nitebantur: non dubiâ vter populus vin-
ceret seruitute.

CAPVT DVODECIMVM.

Galli Cæsarem ad se euocant.

IAmque Sequani suis agris mulctati fuerant:
Hedui bis ingenti clade prostrati, oppressæ li- *Cic.*
bertatis antelucana intuebantur, cùm expeditus ad *Ep. ad*
Cæsarem legatis, vt effusam Germanorum mul- *Att. 1.*
titudinem (nam paucis iam ante annis Harudum
millia XXIV. ad Sequanorum agros occupandos *Cæs.*
exierant) & passim omnia ferro euastantem sisteret, *l. 1.*
deprecantur. Sic de regno ambigentes, eâ re
de quâ improsperè disceptabant facilè priuati,
amissâ libertate seruò concordiam seruare edocti,
Romanis tandem præualentibus, dum factionibus
& studiis distrahuntur, in victoris gentium populi *Cæs.*
potestatem concesserunt. Pulsi armis Germani, *l. 2.*
siue (quod probabilius est) pretio à Romanis
empti, quà Rhenus longè excurrens in Oceanum
influit, consedere. Vnde Francicarum Coloniarum
semina primùm exorta sunt, vt clariùs infra de-
monstrabimus. Hinc etiam Germaniæ inferioris

Plin. l. 4 c. 16. Tac. de morib Germ: Cæſ. l. 2.

nomen huic terrarum parti inditum, cuius præcipui populi Nemetes, Tribocci, Vangiones, Vbij, Condruſi, Eburones, Cæreſi & Pœmani, qui vno nomine Germani à Gallis appellantur.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Gallicum Bellum Cæſari demandatum.

Pater. l. 2.

ATque is fere erat Galliarum ſtatus, cùm poſt initam inter I. Cæſarem, Cn. Pompeium & M. Craſſum potentiæ ſocietatem, quæ vrbi orbique terrarum, nec minus diuerſo quoque tempore ipſis exitialis fuit; Cæſari nullam aliam ad imperium capeſſendum viam cogitanti, decretæ in quinquennium Galliæ; nullo repugnante, quia ingens in eum populi fauor ob immodicas largitiones, fruſtra [a] Senatu ea quæ mox acciderunt, præſentiente. Sed vt *vincit plerumque pars maioris animi quàm conſilij*, vicit horum prudentiam, *pronus iam & in ſeruitium ruens populus* [b] *qui non dilectu aut ſapientia ducitur, ſed impetu & quadam temeritate* Fortunâ etiam ea quæ reſtabant in Europâ, cùm Pompeij manibus Aſia eſſet ſubacta, in Cæſarem transferente; cui, nequid ad explendam cupiditatem (nam imperium iam animo inuaſerat) deeſſe poſſet, decem expeditæ legiones cum Illyrico toto adiectæ ſunt. Tanto ſcilicet imperatore, tot ſubnixo opibus, tantis copiis ſuccincto, prorogatoque per Cn. Pompeium & M. Craſſum in alterum quinquennium imperio opus fuit, vt Gallia trans Alpes ſub iugum mitteretur.

Liu. l. 7. Tac. 1. ann. Cic. pro Plan.

A. V. C. Dec.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Belli Heluetij tumultus.

PRimus Galliarum motus ab Heluetiis cœpit. hi Rheno Iura monte (Sanclaudianum vocant) incolæ. lacu Lemanno, ac Rhodano augustioribus quàm tanta gens caperet, terminis continentur. tanta eorum fama, ac virtus, vt reliquos Gallos ob quotidiana cum Germanis prælia, præcellerent. Diuisi primum in quatuor Pagos, quemadmodum superiori libro expressimus: Tigurinum scilicet, Tugenum, Vrbigenũ & Ambronicum, non sufficientibus terris, quæ gentis bello inuictæ multitudinem alerent, adducti primùm authoritate Orgetorigis (is Heluetiorum longè nobilissimus ac ditissimus erat,) mox eo è viuis rapto, homines bellandi cupidi, è finibus exeunt, oppidaque omnia sua, vicos, domos incendunt, combusto etiam si portari non poterat frumento; vt [a] sublatâ reditus spe hoc velut sacramento obstricti, ad omnia pericula subeunda essent paratiores: quippe auxilio fugæ adempto, aut vincendum, aut moriendum superarat. Rauraci, Tulingi, Latobrigi, Boij aliique in rei gerendæ societatem recepti sunt. Santonum fines cum aliquot feraciſſimis earum partium terris petebantur. Ferunt CCCLXVIII. Heluetiorum sociorumque millia extitisse. Turbauit Galliam omnem, ipsamque Rempublicam Romanam tantæ multitudinis metus, [b] ne prouincias ditionis suæ ceu vndarum ingens illuuies obrueret. Creuit metus diuersis sparsus rumoribus, *famaque* [b] *ex longinquo aucta.* tanta Romæ trepidatio, vt ex Senatus decreto Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum authoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, darentque operam; ne cum Heluetiis iungerentur, ac missos quidem constat Q. Metellum Creti-

Cæs. l. 1. Flo. l. 3. c. 10.

Iustin. lib. 22.

Strab. lib. 4.

Cic. l. 1. Ep ad Att.

tum, & L. Flaccum, cum Lentulo Clodiæ filio. Quæ me res eò facilè impellit vt putem, bis ab Heluetiis turbatum his fere temporibus. ac primò statim compositos indignante Metello Consule, qui nondum Româ profectus, otium è Gallia nuntiari ægrè ferebat; triumphi nimirum, vt creditum est, auidus e præter modum. Sed redeuntibus iterum ac longè maiori impetu ad vetus occupandæ Galliæ consilium, eo quo dictum est modo, Heluetiis; belli grauissimi moles, in Cæsarem Galliarum imperatorem incubuit.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Heluetij à Cæsare prostrati.

NEgato igitur per prouinciam Romanam itinere, quanquam à maleficio temperaturos pollicerentur; per Sequanos via vna relicta est quâ exirent angusta & difficilis. *Sed par est omnia quantumuis ardua experiri, qui res magnas a & magnoperè expetitas adipisci desiderant.* Tum Heduorum & Allobrogum querelis motus partim, partim precibus adductus, Cæsar, conscriptis nuper in Italiâ duabus legionibus, ad Ararim amnem impeditos, & nihil tale expectantes ita est adortus, vt magnam Heluetiorum partem concideret; ac reliquos in fugam verteret. Inde reparatis animis, vt prælio vincerentur qui dolo victi fuerant, iterum diu pugnatum est acerrimo impetu: cùm antea per Diuicum (qui nuper in bello Cassiano dux Heluetiorum extiterat,) pacem & terras quas incolerent, ferociter postulassent. Fertur Cæsar, antequam manus committerentur, professus suis, non nisi victo hoste equum inscensurum: itaque pedes pugnauit. illicò Ducis exemplum cæteri secuuti sunt, quæ res maximum ad victoriam momentum fuit. Nam b *facta promptius quàm dicta sequuntur milites: nec disciplinam modò, sed exemplum etiam à Ducibus petunt.* Tandem magnâ strage

Cic. in Orat.

Dio. l. 38. Cæs. l. 1.

Liu. l. 7.

strage profligati, cùm rescisso Rhodani ponte fugam Cæsar abstulisset, adducti etiam magnâ rerum inopiâ, deditionem faciunt, quos Cæsar, veritus ne qui trans Rhenum incolerent Germani, vacuis Heluetiorum finibus potirentur, eò vnde profecti erant, reuerti iussit: hâcque ratione bellicosissimam gentem sic in suas sedes quasi greges in pastorum stabula victor Cæsar deduxit, tantâ sui laude, ac militum commendatione, vt acceptæ nuper ab Heluetiis Tigurinis cladis ac singularis ignominiæ, Cassiano exercitu sub iugum furcis Caudinis turpius misso, pene non puderet ampliùs Romanos, *Abstulit virtus turpitudinem, & facinus vnius, c intra alterius imperatoris gloriam fuit.* Nec publicas solùm Cæsar, sed priuatas etiam iniurias vltus est. Nam eius L. Pisonis auum L. Pisonem Legatum Tigurini Heluetiorum Principes eodem prælio quo Cassium interfecerant.

Flo. ibid.

Fl l. 1. c 3.

Interim pulso hoste Cæsarem vrgebat vehementer frumenti inopia; tum questus de Heduis, quorum precibus adductus bellum suscepisset, Dumnorigem magnæ apud eos authoritatis virũ, equitatus, quem Romanorum subsidio Hedui miserant, præfectum, cæterùm tacitè Romanis infensum, authorem egestatis resciuit, ac in eũm quidem grauiùs animaduertisset Cæsar, nî Diuitici fratris lacrymis d ac precibus demississimis victus, iram iam se manifestè prodentem continuisset. Dati tamen Dumnorigi custodes, qui, nequid in posterum moliretur, præcauerent diligenter.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bellum Germanicum pro Gallis.

COnfecto feliciter Heluetiorum bello, Heduorum & Sequanorum enixissimis precibus, simul Romanæ prouinciæ periculo ne à Germanis Rhenum identidem traiicientibus vastaretur toties impune incitatus; in Ariouistum Gentis

Regem, famâ ingentis virtutis clarum copias direxit. is multorum iam bellorum ac victoriarum gloria; [a] tantos sibi spiritus, tantamque arrogantiam sumpserat. vt vno velut spiritu Romanorum vires diffiatum iri à se iactitaret. Vocatus in colloquium, cùm superbè Cæsarem excepisset habuissetque, eum irâ accensum & indignâ percitum contumeliâ, ad decernendum bello compulit. Romanorum militum mentes pauor ac stupor repente inuaserat; quippe lymphati (vt de Macedonibus quondam sub Alexandro M. fertur) trepidare cœperunt; omnium pectora occulto metu percurrente. nec alia causa suberat ex Arioui-sti, vt creditum est, & Germanorum in bello famâ [b] ac virtute militari suscepta animorum consternatio. Sed vt *Ducis* [c] *magnitudo vnicum est remedium deficientis exercitus*, feruidâ Cæsaris [d] oratione, tanta belli cupiditas gerendi omnium animis iniecta est, tantum pugnandi studium exercitui derepente innatum, C. Valerij & M. Metij ignominia [e] recenti adhuc accensum, quibus Arioui-stus catenas iniecerat, vt post aliquot velitationes, toto tandem impetu reiectis telis, quæ pugnæ species atrocissima esse solet, cominus certaretur. nusquam eliàs pari contumaciâ & ratione pugnatum fuit. Scutis supra capita contextis in modum testudinis Germani tegebantur: Romani agiles in præstructam salière testudinem; reuulsisque velut squamarum tegumentis, facilè tum in iugulos gladiis descendentibus, fodiebant. Sic dissolutâ compage in fugam versi dissipatique, latâ internecione cæsi sunt. Victus acie Arioui-stus vix Rheno nauiculâ traiecto seruatus est. reliqui Germanorum partim eo prælio, partim Vbiorum in palantes eruptione, conciti sunt. Sic confectis vnâ æstate duobus bellis ijsque maximis, deductis in hiberna per Labienum Legatum ad Sequanos legionibus, in citeriorem Galliam Cæsar remigrauit.

Curt. l. 4. c. 12.

Curt. l. 7.

Oros. l. 6. c. 7.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Bellum Belgicum Cæsarianum.

SEcunda longéque cruentior pugna Belgarum: non pro cultu regionum, sed pro aris ac focis, ipsâque rerum omnium chariſſimâ libertate pugnantium. Hi armorum gloriâ tantùm non pares, vt ſuperiores Heluetijs, ab extremis Galliarum finibus ad inferiorem Rheni partem pertinent. Neruij, Atrebatus, Ambiani, Morini, Menapij, Galeti Vellocaſſes, Veromandui, Catuaci, Sueſſiones, cum aliquot Germanorum populis ad Rhenum; ſed omnium virtute ac numero hominum principes [a] Bellouaci, datis mutuò obſidibus, vt in publicâ gentium coniuratione accidere ſolet, in Cæſarem ſigna attollunt. Verebantur quippe ne pacatâ omni Galliâ, eo quo cæteri iure, ab Romanis opprimerentur. Indicto pro communibus rebus conſilio, *Imperaturum omnibus* [b] *eligi debere ex omnibus prudenter arbitrati*, ne diuerſitas [c] imperantium tumultu cuncta turbaret, intenti vnius imperio adhæreſcunt. Erat his temporibus rerum fortiter geſtarum famâ inſignis Galba, (Adiam vocant nonnulli) Sueſſionum Regulus Huic totius belli ſumma ex opinione [d] anteactæ virtutis defertur. Fœderatorum copiæ ex ccc. circiter armatorum millibus compoſitæ: Cæſar VIII. circiter legionibus ſubnixus erat. eò celeriùs omni opinione aduolauit, receptiſque in fidem Rhemis, totius belli rationem ab eis edoctus apud Axonam caſtra poſuit. hunc amnem vadis repertis traiicere conatos prohibuit, tum equitatu circumuentos oppreſſit Cæſar; & in ſuos fines reuertentes ſubſecutus, tantam hoſtium multitudinem interfecit, quantùm per diei ſpatium licuit. Nec inulti cadebant Galli, quibus ſcilicet nihil aliud ſupereſſet, locorum fraude deceptis, quod hinc inde Cæſariani tranſmiſſo flumine incumberent,

Cæſ. l. 2. Fl. l. 3. c. 10.

Plin. Paneg.

Dio. l. 39.

Strab. l. 4.

quàm honestæ e mortis solatium ex hostium suorum cæde. Noviodunum cum duobus Galbæ liberis, & Suessiones in deditionem recepit: inde Bellouacos datis DC. obsidibus Ambianosque, adductus scilicet Heduorum precibus: maior contra Neruios difficultas; quippe feri homines magnæque virtutis, vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium ignari, quibus langueſcere animos, & remitti virtutem existimarent, pertinaci animo obsistebant. quanquam deficientibus cæteris, tam proiectæ audaciæ visi sunt, vt neque Legatos ad Cæsarem missuros, neque vllam pacis conditionem accepturos, sed pallutos pro libertate vltima profiterentur. Hi Romani exercitus perspectâ consuetudine, quòd inter singulas legiones numerus impedimentorum ingens incederet: in syluas abditi, ex compacto omnibus copiis in Romanos Equites prouolat f improsperè; nam fractus virtute impetus, pulsi facilè ab exercitatis, Cæsare in omnia g imperatoris plerumque & militis munia incumbente, magna clade: quanquam tumultuariò, non ex rei militaris ordine ac disciplinâ pugnaretur. quò incertior diu fortuna prælij fuit: nam quarta legio Romanorum Centuriones suos signumque amisit, cæteri aut occisi aut vulnerati. Ac periculo vicina res erat; nî P. Sextius Baculus, quanquam acceptis toto corpore vulneribus penè confectus, arrepto scuto, Centurionibus nominatim appellatis, spem animũque militibus prope in fugam emissis attulisset: vt *sæpe vnius virtute multorum ignauia castigatur, animusque desperatione debilitatus confirmatur*. Legati insuper Cæsaris Labieni aduentu, qui quà primùm pugnauerat, Gallorum castris potitus fuerat, restauratum est prælium, & ad Neruiorum vltimam internecionem productum. Ex armatorum millibus ferè LX. vix quingentos superstites deditionem feciſſe accepimus.

Dio. l. 56.

Flor. lib. 3. c 10.

Idem ab Aduaticis qui in Neruiorum subsidium venerant factùm, tradito insuper munitissimo oppido, quod cæteris desertis euersisque vnum commeatu vndique importato insederant. Hîc

vsus manſuetudine erga ſupplices Cæſar prope [h] exitiali ſibi ac ſuis : nam recepto oppido, ac iuſſis deinde exire militibus, quæ inire gratiam debuerat facilitas, eadem rebellionis licentiam præbuit : Ecce de repente in Cæſarianos erumpunt oppidani, adeóque pugnãt acriter in extremâ ſpe, quæ enim vltra perfidis ſalus [i] relicta, ab irato potiſſimum victore? vt aut moriendum [k] ſibi honeſtè, aut vincendum generosè eâ die, nihil præterea reliqui poſt patriæ cladem & libertatis iacturã ſupereſſe ſtatuerent : quippe *turpiſſimum eſt, cùm poſſis cum ſummâ virtute pro patriâ interire, malle per dedecus & ignauiam viuere.* poſt diuturnum prælium in oppidum reiecti ſunt, ac poſtridie refractis portis ab irruentibus & recenti perfidiâ accenſis capti cæſique ſunt.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Bellum Armoricum.

EOdem ferè temporis tractu, quo Belgarum populos, eo quo dictum eſt modo Cæſar ſubiugabat, per P. Craſſum M. Filium Armoricæ [a] ciuitates imperium accepere. Veneti, Vnelli Oſiſini, Curioſolitæ, Seſunij, Rhedones (qui mox rebellarũt) in deditionẽ poteſtatemque Pop. Rom. redacti ſunt. Tum deductis iterum in hyberna legionibus, in Italiam Illyrîcumque iter Cæſar inſtituit. Obeas res tam feliciter geſtas, ſupplicatio in xv. dies (quod antea nemini vnquam imperatori contigerat) decreta eſt. miſſo cum legione duodecimâ & expeditiori equitatus parte, in Antuates, ſiue Nantuates, Veragros, Sedunoſque, Sergio Galbâ, Barbaros aliquot in Alpibus caſtra Romanorum oppugnantes, fortuna Cæſaris vbique eadem debellauit.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Armoricorum Rebellio.

Cæs. l. 3. Dio. l. 39. Oros. l. 6. c. 7.

AGentem in Illyrico Cæsarem repentinum in Armorica bellum maturiùs solito reuocauit in Gallias, ab Venetis, [a] horum longè amplissima authoritas erat omnis oræ maritimæ, initium cœptum grauissimi tumultus. ij Silium & Velanium commeatûs comparandi causâ à P. Crasso, qui in Andibus hyemabat missos, retinent: ac sollicitatis ad recuperandam libertatem reliquis ciuitatibus, terrâ marique pro magnitudine periculi bellum parant, tantò maiore spe, quòd locorum, portuum, vadorum, insularum etiam circumiacentium inscitiâ Romanos laboraturos confiderent, ac præterea fiduciâ Britannorum freti, quorum promptissimis auxiliis iuuarentur. Cæsar veritus ne hac neglectâ tot ciuitatùm in Galliæ vltimo angulo sitarum rebellione, cœteræ velut contagione correptæ, Galliam omnem ad eiusdem coniurationis societatem pertraherent; ad hæc ne si orientem illum ignem continuò opprimeret, ingenti statim omnia, tum cùm opem ferre non posset, incendio ardere cerneret: nam *parua sæpe scintilla neglecta, magnum excitauit incendium*. Gnarus insuper longo rerum exemplorúmque vsu, promptum esse Gallis omnibus & mobile ad res nouas, sed libertatis ante omnia amorem, ingenium: ne auxilia rebellibus aliunde mitterentur, Treueros, Rhemos, reliquosque Belgas, [b] per T. Labienum; Aquitaniam per P. Crassum, aliasque ciuitates ac gentes, per diuersos duces in officio continuit. Dec. Brutum classi præfecit: ipse pedestribus copiis in Venetos celeriter contendit. [c] Nauibus longè expeditiores erant Armorici, vsu tempestatum, loci naturâ ac peritiâ, cæterisque ad maritimum prælium instruendum ineundúmque multò tutiores. Iamque in mutuo

Curt. 6.

conſpectu naues conſtiterant, hærente Bruto aliiſque Tribunis, ignaris ſcilicet quam potiſſimùm pugnæ rationem inirent, nam omni genere armorum Armorici erant ornatiſſimi: vnde illis audacia, his creuit deſperatio. Suaſit pugnam nō pugnæ voluntas, ſed neceſſitas, quæ in bellis maximum eſt ad res arduas incitamentum. nunquam manifeſtiùs periculo atque negotiis compertum eſt, *Ingenium in bello plurimum poſſe*. Haud dubiè enim pugnatum foret à Romanis infeliciter, niſi conſilio c magis, quàm impetu nauticum prælium inſtruxiſſent. quippe præacutis falcibus, abruptis quibus antennæ illigabantur vinculis, omnis repente nauium Armoricarum vſus eripitur: ortâque ſubitò (vt omnia d Romanis fauere crederes) maris tranquillitate, mole ſua naues Armoricæ ſtantes quaſi fixæ & immotæ, mox quia remis flectebatur facilè Romanorum claſſis, tranſcendentibus militibus nullo negotio expugnantur; multis cæſis facta deditio eſt.

Strab. l. 4. Sall. Catil.

CAPVT VICESIMVM.

Galli in diuerſis regionibus à Cæſare profligati.

QVo tempore Viridouix Vnellorum Regulus, cui ſe Eburouices Lexobrique finitimi Senatu interfecto, a quòd pacis ſuaſor eſſet, iunxerant: temerè Romanorum caſtra aggreſſus à Titurio Sabina magnâ ſtrage vincitur. Nec felicior fuit in diſiunctiſſimis partibus Gallorum rebellantium fortuna · nam Sontiates, quos alij Apiates vocant, Pyrenæis finitimi iugis, dedito in Aquitaniâ oppido, Vocates & Taruſates caſtris vi expugnatis, cæteriſque Aquitaniæ populi, poſt iteratas ſæpius clades à P. Craſſo debellantur. Horum in numero recenſentur Tarbelli, Bigerrones, Preciani, Vocates, aliique fuſis paucos ante annos Romanis feroces, interfecto L. Valerio Præconio, ac L. Manilio proconſule, in fugam coniecto, quos pari clade victor afflixit.

Dio. l 38.

Itum inde est in Morinos & ad Rheni ostia posi-
Fl.l.3. c.10. tos Menapios : quodque acerbissimum Cæsarianis fuit, non fuere qui vincerentur : quippe in syluas & paludes illicò compulsi sunt, vastatis omnibus agris vicisque incensis (tantùm pauoris incussit subitò Romana vis) Cæsaris arma timuerunt magis quàm senserunt. tum sæuiente hyeme, quæ iis in locis acerrima est, ad hæc continuis imbribus fatigatus miles, in hybernis collocatur.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Rhenus à Cæsare primùm traiectus.

Cæs.l. 4. INeunte anno pulsi suis sedibus à Sueuis, ea gens longè maxima & bellicosissima est Germanorum, Vsipetes & Tenchtheri, oppressis Menapiis Rhenum traiiciunt; ibique constitere. Cæsar veritus, quod erat, Belgarum consensum, relictis ad cæteros in fide Romanorum continendos copiis, eò magnis profectus itineribus, Germanorum legatione frustra iniectâ morâ, dum omnis Equitatus trans Mosam amnem prædandi causâ missus adesset; hostium castra aggreditur, nec difficulter capit diripitque. qui incolumes fugam capessebant, ad Mosæ & Rheni confluentem partim ferro conciti, partim acti in flumen præcipites : timore, lassitudine, vi fluminis abrepti, oppressi, haustique periere. Cæsar ratus decorum sibi ac populo Romano bellum in hostem refundere, Rhenum firmissimo ponte iunctum transgressus, tantùm incussit terroris Germanicis gentibus, vt ferociissimi quique pacem & amicitiam per Legatos peterent; cæteri quos bello persequatur, in syluas ac solitudines se abderent. reductis igitur in Galliam copiis pontem rescindi imperauit.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Bellum Britannicum.

INde se vltro Morini rerum gestarum famâ permoti dedidere. gratum id Cæsari, nam omnibus terrâ marique superatis quâ longè latéque Gallia porrigitur, Oceanum respiciebat, & in eo alterum, a velut orbem Britanniam suo & Romanorum imperio subiugandam: quippe id sibi gloriæ ducebat maximæ, dum alium subigeret, in alio quodammodo orbe trophæa statuere: & quæ longò interuallo natura videtur diremisse, vnâ victoriâ subito committere. quanquam Rom. primus D. Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, videri possit ostendisse magis insulam posteris, quàm tradidisse. Ea insula omnium quas antiqui nouerint amplissima est, Albion ante ab albis ad littus petris Græcis nominibus vocitata, inde Britanniæ nomen & alterius quasi orbis amplitudine suâ, sortita est. Clara Græcis, clara Latinis monumentis. huius partem proximam occupasse Gallos dotumento est, cùm vetus ciuitatum, tum recens adhuc prouinciarum aliquot appellatio. nam & maritima pars ab iis, vel vno teste Cæsare, incolitur, qui prædæ ac belli inferendi causâ, vt libro primo docuimus satis, ex Belgis transierunt: qui omnes his ferè nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eò peruenerunt. Ac Iberos quidem veteres eò traiecisse, easque sedes occupasse, quibus hodiernum nomen Hiberniæ inditum est, constat; proximas verò & Gallico solo vicinas à Gallis quibus similes sunt, occupatas; liquet manifestissimè. nunc Angliæ nomen vulgò, quanquam & Britanniæ veterem etiam vocem retineat, obtinuit. Causa [b] belli Britannici eadem quæ cæterorum, *nimia imperij diuitiarumque cupiditas*: Nam *fere illis maximum discrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum causæ.* [c]

Tac. in vit. Agric.

Suet. in Cæs. c 47.

Tac. 4 hist.

Sed ea vulgò obtendebatur, quòd inde Armoricis tumultibus petita adductaque auxilia in Romanos forent. Neque verò temerè adeunda erant littora, Romanis antea legionibus incognita. Itaque præmittitur cum longâ naui qui insulam, loca, portus, adituſque exploraret, Caius Voluſenus, renunciatis quæ ille perſpexerat, è Morinorum portu, vnde breuiſſimus in Britanniam traiectus eſt, nihil vltra cunctatus Cæſar ſoluit, ac repulſis diſiectiſque in ipſo aditu Barbaris, qui eſſedis volitantes aciem Romanam terruerant, applicuit. tum facilis ex trepidis victoria fuit, dedentibus ſe vltrò oppidanis. Sed fractis tempeſtate vlidâ nauibus, turbatio ingens Cæſaris milites, ipſumque Ducem inuaſit, ex frumenti inopia, ſi iis in locis inter barbaros eodem quidem prælio domitos quo victi ſunt, ſed qui armis non ſuis moribus contineri in fide poſſent, eſſet hyemandum. deeſſe naues quibus in continentem reportarentur. iamque proximæ Britannorum rebellionis malum rumor haud ita leuis vulgauerat. Tum illi trepidare, & plenam periculi ac laboris expeditionem damnare, incuſare etiam liberis querelis imperatoris immoderatam gloriæ cupiditatem. Augebat militum trepidationem ventura ab Gallia commeatus deſperatio. Verùm, vt *eſt difficultatum omnium diligens ratio victrix*, Cæſaris prouidentiâ, quam longe maximam periculi magnitudo effecit, partim reſtitutus militibus animus, partim vt erat vel minimis rebus intentus refectæ naues: & quæ erant vſui è vicinâ Galliâ celeriter comparata ſunt. Tum commiſſo incredibili ardore à Cæſarianis prælio, partâque victoriâ, in deditionem recepta ſecundò Britannia eſt. His peractis rebus Cæſar Morinorum vindicatâ rebellione (cùm Oceanum priùs tranſmiſiſſet) vaſtatiſque iterum per Titurium Sabinum, & C. Cottam legatos Menapiorum finibus, decretam ab Senatu XX. dierum ſupplicationem lætus accepit.

Am. Marc. l. 17.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Bellum Britannicum secundum.

O Dulce libertatis nomen, cuius intermissæ acriores sunt morsus, quàm retentæ! Vt *enim Gentibus etiam Barbaris ingratum est qualecumque seruitutis nomen: sic pronus à natura omni hominumgeneri ad recuperandæ libertatis, si semel amissa sit, studium desideriumque animus.* & qui præsentes metuunt, ijdem in absentiâ hostes erũt: cæteri quamuis ingenio sint tardiores si terga viderint, sublato metu facilè sequentur, nec vllius vnquam gentis clariori exemplo comprobatum est *ægrè subiectos esse quos viceris.* Deficientibus igitur à fide Britannis, de secundâ in eam insulam expeditione cœpit Cæsar cogitare. Nec moratus diu comparatâ maiori classe, auctis copijs nouo militum supplemento, Treueris, vbi Cingentorix & Iudiciomarus fratres disceptabant, in fidem receptis, Dumnorige a consilio manuque promptissimo viro interfecto, nequid in Gallia per absentiam Cæsaris eo authore turbarum oriretur; in eumdem rursus Oceanum, eosdemque iterum Britannos nauigauit Cæsar, pari quàm antea felicitate, maiori etiam præda auctus exercitus, ipso quoque Oceano tranquilliore vsus, vt qui se tanto Duci imparem fateretur, in Galliam reuectus est.

Cic 2. off.

Curt. l 6. c.3.

Fl.l.3. c.10.

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Gallorum in Cæsarem rebellio.

COllocato in hybernis exercitu, legiones Romanas, quod eo anno frumentum angustius ex siccitate prouenisset, latiùs distribuere

Cæs.l. 5.

coactus est. Tum orta repente ab Eburonibus rebellio, quasi initum esset de communi libertate recuperanda consilium, Titurium Sabinum Cottamque legatos Cæsaris turbauit; Ambiorige insuper Treuerorum longè clarissimo, quò Rom. militum animos deterreret Germanorum aduentum nunciante. Metum augebat cæsus eodem tempore à Carnutibus Talgetius Cæsaris amicitiâ præcipuus. Nec minimi terroris loco fuit, Cæsaris vt solebat per id ferè temporis [a] absentia. Legatorum etiam dissensione ac pertinaciâ magna clades accepta est: Sabino (is author pugnandi fuerat) Cottâ contrà trahendam cunctatione rem donec adesset Cæsar contendente, ab Ambiorige coniurationis authore perfidiosè interfecto; tum eodem Cottâ cùm fortissimè pugnaret, pariter cæso. Milites desperatâ salute mutuis se vulneribus quasi gladiatorio more concidebant: hoc facinore penitus Romanorum opes corruissent, nisi multorum furias lymphataſque mentes, paucorum moderata prudentia continuisset. Dignum immortalitate T. Pulfionis, & L. Vareni Centurionum facinus memoratur, vt rarum inter hostes, sic famâ posteritatis commendabile: cùm enim ab Aduaticis Neruiisque Quinti Ciceronis, is Oratoris frater erat, castra oppugnarentur, eademque quâ superiori impressione Titurium Sabinum arte Ambiorix frustra Romanos tentasset; *Qui omnibus annis de loco summis simultatibus contenderant, priuatas controuersias* [b] *pro republica tum periclitante, in hostes vertere, tanto virtutis consensu, quantum olim fuerat inter diuersos moribus & æmulatione dissidium*: Nam alter alteri ita profuit, vt ambo incolumes multis interfectis in castra reuerterentur, nec diiudicari posset vter vtri virtute anteferendus videretur: adeo *præclarum est & vile quicquid irarum in tabernaculo conceptum est, in* [c] *hostium capita effundere.*

Curt. l. 7.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Galli Rebelles à Cæsare in ordinem redacti.

HIs nunciatis, Cæsar de suorum periculo vehementer sollicitus, [1] quia *puncto* [2] *sæpè temporis maximarum rerum momenta vertuntur*, vnum communis salutis auxilium in celeritate situm arbitratus, magnis itineribus in Neruiorum fines accelerat. Galli dimissâ obsidione in eum cum omnibus copiis iter instituunt. nec cùm ferocibus congredi ausus Cæsar, haud ignarus *lentè aduersus hostem, quem tempus deteriorem in dies, & locus alienus facient*, progrediendum, nec eum temerè aggredi Galli. is delecto [b] castris loco consedit; illi iniquissimo loco aciem constituunt. tum factâ vndique à Cæsarianis eruptione, loci iniquitate, & suâ impeditus multitudine Gallorum exercitus pene totus conciditur: Sic apertâ per vastissimas cædes viâ ad obessam legionem Cæsar peruênit, *O nulla longi temporis felicitas! ecce tibi dolor ac voluptas inuicem cedunt.* Nôn Gallis diutina lætitia, non Romanis longior dolor ex legatorum infelici casu relictus est. Cæsar Ciceronis, Centurionum ac militum laudatâ virtute, expiatum cruore hostium dedecus amplissimis verbis gratulatur. hac victoriâ haud dubiè dissolutum iri, qui ab Armoricis ciuitatibus aliisque populis nunciabantur motus.

Liu. 30

Liu. 7.

Sen. Agam. 2dim. Thyest.

Nec fefellit callidum imperatorem suscepta spes. quippe solicitati trans Rhenum à Treuetis & Iudiciomaro Germani spem omnem auxilij abscinderunt: nihilo tamen secius, Iudiciomarus Labieni castra expugnare statuit. sed frustrato impetu cùm discederet à Romanis (quos vnum omnes peterent magnis propositis præmiis Cæsar monuerat) comprobante hominis consilium fortunâ interficitur; Reliqui cæso duce ab equitibus palantes conciduntur. Neque verò sine Romano-

rum damno maximo, & legionum internecione geri tantæ res à Cæsare poterant; in iis potissimum regionibus, quæ subinde pro libertate repetenda rebellabant. Igitur auctus Cæsar tribus legionibus Gn. Pompeij operâ, paratum in se Bellum à Neruiis, Aduaticis, Menapiis & aliquot cis Rhenum gentibus, in ipso belli ortu extinxit: habitoque Lutetiæ Parisiorum Concilio, Senones & Carnutes Heduis ac Rhemis deprecantibus (nam adesse conuentui abnuerant) in fidem recepit. Treueros & Menapios cum assiduo belli machinatore Ambiorige; hos per Labienum legatum, Menapios suo ductu redigit in ordinem.

Cæs. l. 6.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Sicambri aliique populi à Cæsare compressi.

TVm secundo transmissus Rhenus, vt Sueuorum incursiones in Galliam, armis coercerentur. Sed his in suas si syluas illicò comicientibus, ad Ambiorigem remigrauit Cæsar. Eburonum fines conuocatis ad prædam finitimis, ferro flammâque euastauit. Sicambri, qui inuitati prædâ, ad diripiendas miserorum fortunas, Rhenum transierunt; acceptâ Cæsaris absentiâ, relictisque quas congesserant rebus, spe maioris fortunæ incitati, Q. Ciceronis legionem aggrediuntur, cæsisque primo impetu aliquot militibus in anceps periculum Romanos adduxerant, cùm Cæsaris aduentu desperatâ expugnatione, in suas redire sedes coacti sunt. Cæsar nihil omisit quominus vastatis agris hoste potiretur, diuiso in multas partes equitatu, inuitatis etiam magno præmio, qui interciperent: multis insuper sponte nitentibus quòd magnam se à Cæsare gratiam inituros putarent. Sed ad summam rerum felicitatem defuit Ambiorix, qui latebris ac saltibus densis, flagrantissimè optanti est ereptus. *Nimirum felicitatem præstare sibi à seipso nemo potest: sed deuò*

semper aliquid hominum fortunæ [a] *volunt dij, vt sit quo se virtus exerceat; ne si vota obuenerint, modum excedentes, elatique superbiâ, supra quàm fas est, assurgant: Nam prospera animos* [b] *efferunt.* Cic. pro Maril. Sen. Agam.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Gallorum secunda in Cæsarem Rebellio.

HOc tractu temporis consternatâ Clodij cæde republicâ, Milo, (is author cædis fuerat) frustra Ciceronis ac Catonis authoritate defensus, Massiliæ exulauit: tum in gladios & cædes itum, ciuium furente ambitu, cuius neque finis, neque modus reperiebatur; interempto etiam in Parthis cum parte maiore Romani exercitus Crassô, tot rerum perturbatione ac tumultu, grauiter concussus est imperij Romani status. Neque verò ignari turbarum Galli, quippe qui in omnem occasionem [a] intenti ad spem libertatis, vbi aliqua lux affulsisset, illico accendebantur. Ea omnium maxima eademque nouissima coniuratio fuit, quæ præcipuos militari disciplinâ populos Carnutas, Biturigas, Sequanos, Aruernosque communi velut Gentium fœdere inuoluit. Aberat tunc suo more Cæsar, Rauennæ delectum agens, hinc facilis ac pronus populorum ad Rebellionem animus, quos alioqui in fide imperatoris authoritas continuisset. is eâ re vehementer commotus, quàm potest citissimè in prouinciam remigrauit: vt Vercingentorigis (quem [b] corpore, armis, spiritu terribilem fœderatâ gens bello præfecerat) consilia quamprimum opprimeret. Narbonam nutantem, cæteraque ciuitates dubias, collocatis præsidiis confirmat. Inde Aruernos, relictoque in castris Bruto, Viennam per Heduorum fines in Lingonas iter intendit volanti magis quàm vadenti similis cum expeditâ manu. miraculo proximum fuit, intercluſis montium ac niuium per id tempus tumulis, nam dira hyems Cæs. l. 7. Pater. l. 2.

fæuiebat, itineribus, Galliam penè omnem emensum esse Cæsarem, & ex distantibus hybernis, castra tam celeriter contraxisse, nec minori c celeritate Vellaunoducum in Senonibus, Genabum in Carnutibus, in Biturigibus Nouiodunum expugnauit, relictis vbicumque victoriarum monumentis. Vercingentorix quò Cæsarem pabulatione & commeatu prohiberet; neque enim acie congredi tutum erat, vrbes d latè vicosque incendi iubet, sterile e ac nudum solum, quod tueri non poterat, hosti relicturus & solitudinem. Rei frumentariæ difficultate affecti Romani milites, vltimam famem æquissimis f animis sustentarunt: vt ne quererentur quidem, nec vox Romani nominis maiestate indigna totque victoriis, audiretur in castris. Oppugnabat Cæsar Auaricum, singulari oppidanorum virtute diu defensum; sed tandem frustra in subsidium suorum aduolante Vercingentorige. captum direptumque est: tam promiscuâ miserorum ciuium cæde, vt non ætate confectis, non mulierum ac infantulorum imbelli & inermi multitudine parceretur. *Victor feroces impetus primos habet, regi g frænis nequit & ira, & ardens hostis, & Victoria empta labore, quæsita damno.* Collegit sparsas miserabilis exercitus reliquias Vercingétorix, nec ipse tanto fractus h incommodo desperauit: aduentu insuper Teutomati Nitiobrigum Regis, magnoque Aquitanorum Equitum numero recreatus, & copiarum vndique i ac virium accessione munitus, cùm Cæsarem Gergobiam properare ab explorátoribus accepisset, interruptis Elaueris fluminis pontibus, prohibere transitu frustra conatus est: nam refecto celeriter ponte intra quintum diem, quò intenderat Cæsar copias promouit.

Sen. Troad.

CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

Cæsaris clades circa Gergouiam.

ERat Gergobia situ munitissima vrbs, positaque in altissimo monte, aditu difficilis, nec vllâ hominum vi, sed solo tempore & longo bello expugnabilis. Cæsar loci situ diligenter inspecto, re infectâ ac desperatâ expugnatione discessisset ab oppido, nî occupatus vi collis qui vrbi imminebat, spem labantem confirmasset. Interim C. Fabio legato Castris præfecto, Heduorum, qui authore Litauico quodam Tribuno seditionem cœptauerant, consilia non oppressit ita, vt eo discedente, non reuouarentur. Hi rei malè ad Gergouiam gestæ rumorem leuissimum, a & haud certo authore sparsum vulgatumque, pro re compertâ habuerant. Itaque bona Ciuium Romanorum diripere, cædes facere, in seruitutem abstrahere occipiunt. Cautiùs opinor & opportuniùs si (vt *priuata odia publicis vtilitatibus remittere desit*) positis olim inimicitiis, & condonatis patriæ æmulorum suorum iniuriis, in commune Galliæ bonum consuluissent, adhuc infirmis in Gallia Romanorum opibus. id nimirum adferebat fraternum b nomen, illud erat Romanæ amicitiæ luctuosum ac funestum pignus, vt suis quasi manibus eam popularibus suis seruitutem ac iugum componerent, quo ipsi tandem fœdè necterentur, admissus hostis receptusque in sinum ita fuerat, c vt pelli iam non posset. Igitur vbi teneri à Cæsare suos milites intellexere Hedui, nihil publico consilio factum exclamant: puniret noxios. Dissimulauit d Cæsar facinus, ne si grauiùs ageret ac seueriùs, maiori Galliæ motu impediretur, dimissâque Gergobiæ obsidione, aliorum animos augeret. Vrget itaque oppidi oppugnationem, admotisque vineis, musculis, cæteriisque id genus machinis muros concingebat:

Tac. 4. ann.

quin & occupato colle propè erat vt oppidum caperetur, cùm ex alterâ vrbis parte Galli in Romanos repentè improuisi irruunt, eosque amissis e XLVI. centurionibus ingentique militum multitudine concisâ loco deiiciuut. Tum Cæsar victus ægrè quidem ab oppido discessit. Sed ne circa muros vnius vrbis hærere, tot præsertim ciuitatum defectione auditâ videretur, Heduis tertiùm iam rebellantibus, aliisque initâ armorum ac fortunæ qualiscumque demum obueniret societate, in spem suæ libertatis arrectis, soluit obsidionem, & animi æger in Sequanos copias vertit.

CAPVT VICESIMVM NONVM.

Gallorum Rebellio tertia in Cæsarem.

HOc tractu temporis incensâ Lutetia Parisiorùm, Galli cum Cæsarianis qui sub Labieno eam partem occupabant, manus conseruerunt; sed victi, Comulogeno Duce inter cæsos reperto, antea ruentes Romanorum opes erexerunt: nec eâ tamen clade castigata cessit Gallorum coniuratio: Sed concilio totius gentis Bibracte habito, Belli imperator idem [a] qui ab Aruernis nuper deligitur Vercingentorix. Euocatæ vndique ab sociis ciuitatibus copiæ: Galli Allobroges, quorum mentes nondum à superiori bello & immortali in Romanos odio dudum susceptо resedisse suspicabantur, solicitati ad partes. Cæsar Germanos Equites ad se euocat, ratus omni ratione & vltimo velut impetu, publicæ Gallorum coniurationi esse occurrendum celeriter. Nam sanctissimo Sacramento confirmauerant, nulli forè ad liberos, parentes, coniuges nisi per Romanorum strages, regressum: libertatem, si dij velint, impendio vitæ & sanguinis sui recuperaturos. Sed conceptis spiritibus fortuna defuit; collatis enim signis cæsus omnis propè Equitatus, capti Heduorum nobilissimi. hæc expedi-

tio deficientem magna ex parte Galliam famâ tam opportunæ victoriæ domuit.

CAPVT TRICESIMVM.

Gallia omnis à Cæsare domita.

LEuiora hactenus fuisse discrimina crederes, vnum certamen ex quo cætera pendêrent quasi intuente fortunâ. Itaque apud [a] Alexiam Mandubiorum oppidum semel ac iterum pugnatum est, vtrobique Gallorum internecione: qui omnes Rhemis, Lingonibus, Treuerisque exceptis, quà latè patet Gallia coactis Equitum VIII. Peditum circiter CCXL. millibus animo & opibus in id bellum incubuerant. nimirum ita collatis [b] viribus vincendi erant semel, vt vinci se [c] posse intelligerent, qui suo nuper consensui ne orbem quidem terrarum posse obsistere iactauerant. Hoc prælio confecto Galli de communi salute desperare, tot fracti malis, tot damnis accisi, incipiunt: Romani finem omnium laborum assequuti visi sunt, dedito cum Vercingentorige oppido. Hunc ferunt cùm supplex ad Cæsaris genua accidisset proiectis armis, ceu optimum belli Decus præferens occurrisset, his vsum ferè verbis, *Habes fortem virum fortissime, vicisti: nec turpe puto* [d] *quidquid miserum iubet fortuna; ei proderit tanto victore vinci capique* Non enim turpe est ab eo vinci, quem vincere est nefas: neque ei inhonestè [e] submittitur, quem fortuna super [f] omnes extulit. Sic redacto in Cæsaris potestatem imperatore, bellum Gallicum finitum est. Fefellit virũ sperata Cæsaris humanitas; ac clementiæ fides, deditionisque minimè coactæ periculosa libertas ingentis spiritus Ducem decepêre: namque is postea in triũphum ductus, diutino carceris squalore confectus periit: hoc vno facinore fama Cæsaris [g] violata est: fuit enim in reliquos captiuos singularis eius humanitas; quâ haud dubiè victoriâ

Alesiã *Patere.* 2.

Strab. *l.* 4. *Fl.* 3. *c.* 10. *Dio. l.* *l.* 40. *Pater.* *lib.* 2.

tutiùs & securiùsquà in armis tota inde Gallia facilè debellata est. Bituriges clementiam Cæsaris primi experti sunt, qui primi se dediderant. Carnutes in finitimas ciuitates dispersi. maior circa Bellouacos, Ambianos, Aruernos, Caletes, Velocassios Atrebatesque contentio: Corbeo tamen authore belli & multitudinis concitatore interfecto, pari quâ cæteros humanitate habuit. Tum magnus reliquorum ad Cæsarem concursus. Sic bellicosissimis gentibus deuictis, per Fabium & Caninium legatos Dumnacum Andium Ducem in extremas Galliæ plagas fugere coegit. Carnutes Armoricasque ciuitates in ordinem redegit. Vltra fidem est, integram Cæsaris gloriam & victoriam distinuisse aliquandiu, leuissimam Grassatorum manum. Hæc Drapetis & Lucterij sequuta vexillum, Vxellodunum in Cadurcis egregiè naturâ munitum oppidum insederat, obsidetur; captoque altero multitudinis Duce, cùm frumento abundaret, interciſis aut auersis fistulis, quibus aqua suppeditabatur, siti oppidum expugnatur. Solito asperiùs in captiuos animaduertit Cæsar, præcisæ manus iis qui arma tulerant. Inde in Aquitaniam cum duabus legionibus profectus, Conio Atrebatensi regulo, qui toties Cæsarem turbauerat & insequentem effugerat, M. Antonij potestati dedito, regionem omnem in fidem recipit. Tandem fessam vt prædiximus tot aduersis prœliis Galliam, [h] & nouem annorum interuallo domitam, conditione parendi meliore tutam, præter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit: eique in singulos annos HS. quadringentiens stipendij nomine imposuit.

Hirt. l. 8 de Bel. Gal. Dio. l. 40. Oros l. 6. c. 9.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Cæsar Galliæ victor.

SVbiugata hunc in modum Gallia, collocatisque ad præsidia Regionum & continendos in

fide animos legionibus, in Italiam quàm maximis itineribus profectus est. mira omnium in excipiendo tantæ gentis victore a hilaritas fuit. quà iter erat, nihil ad ornatum locorum vrbiumque omittebatur, non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardauit, quominus oculos insolito spectaculo impleret, vt acclamationibus studia sua multitudo profiteretur, omnia plausu & fœtis cunctorum vocibus personabant. Tum Romam orbis Reginam, Victorem gentium populum, Augustum ac sanctum imperium appellare fas fuit. Nihil ad summam Romani nominis felicitatem relictum videbatur, sublato gentis formidolosæ ac bello diu indomitæ metu: Sed vt *summa* b *petit liuor: tanta fortuna genteſque per omnes clara nobilitas, capax inuidiæ fuit*: Orta ex rerum c gestarum magnitudine, nimiæ potentiæ, ac sinistræ cuiusdam in Rempublicam voluntatis suspicio est. Crassi apud Carras cæde, Iuliæ morte, extinctoque intra breue spatium Iulia nato, erumpente paulatim, vt inter magnos & d æquales assolet æmulatione, omniaque velut fœdera e inter destinatos tanto discrimini Duces Pompeium ac Cæsarem dirimente, belli ciuilis initia exarserunt. Sic *assiduum inter partes discordiæ malum*, duo clarissima reipublicæ lumina extinxit.

CAPVT TRICESIMVM. SECVNDVM.

Cæsar Gallorum opera Romanis bellum infert.

CÆsar vt Gallo milite Romanos subigeret, qui nuper Romano Gallos debellauerat, numerosissimo huius gentis exercitu succinctus, eâque potissimum fretus legione quam Alaudam à cristata casside appellabat Gallico nomine, bellum patriæ, a iniuriis inimicorum concitatus, sed Marcelli Cons. imprimis grauibus conuitiis b accensus intulit; statuitque præmia armorum armis defendere: relictoque in Gallis D. Bruto,

Fl. l. 4. c. 2. Pat. l. 2. Cæs. l. 1. bel. ciuil. Luc. l. 1. & 2.

Romam vacuam [c] diffugiente cum Pompeio Senatu ingressus, primum velut imperio gradum, quo ascenderet statuit: illisque incrementis viam statuit, quâ in regnum, cuius à puero fuerat cupidissimus, assurgeret.

CAPVT TRICESIMVM TERTIVM.

Massilia à Cæsare obsessa captaque.

INde in Galliam ad nouos delectus agendos, quibus Afranium Petreium & Varronem Pompeij legatos Hispaniâ excluderet remigrauit. Properanti in Hispaniam, Massilia miserа ciuitas quæ dum cupit pacem belli metu, in bellum incidit, fide [a] melior quàm consilio, [b] ausa est portas claudere, confligere bis, terrâ marique sæpius erumpere: cum antea per legatos suos renunciasset Cæsari, diuisum esse duas in partes Rom. populum: nec sui iudicij ac virium esse, vtra pars iustior sit discernere: proinde si quis amici more ad se venire vellet vtrumque [c] se, sed inermem in vrbem admissuros suam: sin bello veniant, neutrum. id cautè quidem; sed antea Massilienses adhortatus erat Pompeius, ne noua Cæsaris officia suis beneficiis anteponerent. hinc pronior in Pompeium omnium animus, tutiùs [d] adhæc videbatur inde stare vnde Senatus ac tota nobilitas. Itaque terrâ marique pressa Massilia, ac vtrobique domita, frustra L. Domitio, cui Senatus Gallias decreuerat aduentante, Dec. Bruto maritimis, C. Trebonio terrestribus copiis præfectis deditionem fecit. Massilienſibus non pro suis in se meritis, sed pro veteri amicitia ac fide conseruatis [e] ademit omnia victor, præter eam, quam cæteris rebus potiorem habebant, libertatem. Sed quæ ille ademerat, mox à Senatu fidelissima ciuitas recuperauit.

Dio. l. 41.

Cic. Phil. 8.

CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Cæsaris mors.

CÆsar diebus XL. Hispaniarum Victor, pulsis duobus exercitibus, totidemque superatis Ducibus, receptâ Massilia, Dictator à M. Lepido Prætore dictus, frustra reluctantibus Pompeianis: Equitatu Gallico [a] imprimis fretus, Pompeium Italiâ solo nominis terrore exactum, & in acie Pharsalicâ victum, in Ægyptum fugere compulit: quo statim à vilissimo mancipio interempto, sublato velut imperij æmulo, ac potentiæ refracto obice, extinctis in eo duce genero quondam suo reipublicæ partibus, priuato arbitrio omnia vnus administrauit. Verùm eo in Senatu tertio ferè Dictaturæ anno tribus supra viginti vulneribus [b] trucidato, longè maiores quàm antea fuerant, turbæ exortæ remp. afflixere. *Dio. l. 46.* *A. V. C. DCCV.* *A. V. C. DCC. VIII.*

CAPVT TRICESIMVM QVINTVM.

Galliarum vis ac robur.

QVo tempore M. Lepidus à Cæsare nuper Magister Equitum appellatus, quasi vicem Dictator rependeret, cum Munacio Planco (hunc Lugduni conditorem fuisse volunt) Gallias administrabat. inde ab Senatu more adhuc prisco D. Bruto designato consuli decretæ sunt. Sed intentus dominationi [a] Antonius, veluti vnica esset via, quâ in imperium assurgeret, fieretque ex Consule qualis Cæsar Dictator, præsentis adhuc fortunæ tam citò immemor, *Vt ruunt in voluntarium interitum præcipites, quos semel ambitio excæcauit.* Galliam occupare statuit spretâ Macedoniâ, quæ ei nuper sorte obuenerat. Nec

defuit Antonio populi fauor. D. Brutus apud
A. V. C. Mutinam ab Antonio obsidetur. Sed properante
in subsidium Octauio cum Cos. Hirtio & Pansâ,
DCC. victus Antonius, quanquam cæsis Consulibus,
X. fugâ Alpes transgreditur ad M. Lepidum. ab hoc
primùm repulsus, mox militum singulari affectu
in castris inscio imperatore exceptus, reiecto im-
perij quod promptissimi quique facilè obtulissent,
Pa- titulo: specie recusantis summam virium paula-
terc l. tim ad se traxit: ac breui Lepidus & Plancus, hic
l. 2. dubiâ fide, diu quarum esset partium secum ipse
Eutr. luctatus fuerat, exercitus Antonio tradidere. Bru-
l. 7. tus ita ab Collega Cos. designato desertus, insi-
diis etiam adpetitus, apud Sequanos ab Antonij
satellitibus iugulatus est. Visum id facinus Sena-
Sen. tui atrox & vindicandum: VT *nullum est grauius*
supplicium publico odio, Antonium hostem patriæ
iudicatum, (neque enim iam aut ciuis mentem
gerebat, aut ciuilia moliebatur) armis persequen-
dum esse decreuit: & qui armorum ac partium
societate pares erant, pari nomine & loco habiti
sunt; Lepidus vnà hostis appellatus.

CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

Res gestæ in Gallia sub triumuiratu secundo.

SEd inter Cæsarem Octauium, & M Antonium
Paterc. primùm commercio literarum, cùm vterque
l. 2. Pompeianis partibus ob Iulij cædem esset ini-
Suet. in micus, deinde hortantibus orantibusque exer-
Aug. citibus, contracta adfinitas, mox inita poten-
Appia. tiæ a societas, Lepido ad partes, quasi igne in-
de bel. cendio accedente: & ne quid ad Reip. cladem
ciuil. deesset, instauratum Syllanæ crudelitatis exem-
Dio plum: Proscriptio scilicet tot illustrium virorum,
l. 48. sed Ciceronis imprimis qui continuis actionibus
Dio. b æternas Antonij memoriæ notas inusserat, cæ-
Nic. de authorata. quo tempore tumultus Aquitani-
Aug. cus per M. Agrippam, loco ignobilem, sed militiâ
bonum,

bonum, est compositus, vno prælio res stetit; victis qui turbauerant. Digna literis tanti viri modestia; decretum sibi annitente Cæsare à Senatu triumphum, ob amissam per ea tempora bello Siculo in S. Pompeium ab Augusto classem, recusauit; ne [c] priuatæ gloriæ obiecta species, publicæ cladis & accepti vulneris memoriam, non tam obruere quàm refricare, & in communi luctu lætus videretur. quis enim non esse turpissimum existimaret efferri gloriâ in aduersâ Principis fortuna? Sed vt *firmissima est inter pares amicitia*, sic diuturna imperatorum societas, inter naturâ moribusque [d] dissimiles esse non potuit. *Neque enim profectò vlla vi possunt coire, quæ naturali diuortio dissident: nec vlla tam fidelis est copula, quæ in diuersum tendentia nexu suo teneat.* Citò Lepidi & M. Antonij arma in Augustum cessere. hoc interfecto, exuto illo, sopitus vbique armorum furor; cum ferociissimi per acies cecidissent, cuncta Discordiis ciuilibus fessa nomine Principis sub imperium accepit Augustus. Pacatusque [e] terrarum orbis eundem vltro imperatorem salutauit.

A. V. C. DCC. XVII.

Curt. l. 7.

Nax. Pan. Const.

Tac. 1. ann.

CAPVT TRICESIMVM SEPTIMVM.

Aliquot Gallorum Rebelliones sub Augusto.

INcumbebat tantæ molis Augusti mens, ordinandis Romæ Italiæque, ac inde Asiæ totiusque orientis rebus, circumferens lustratione [a] prouinciarum ac ciuitatum, terrarum orbi præsentiâ [b] suâ pacis suæ [c] bona: cùm in Gallia turbatum est. Treueri vt primi signa extulerant, sic omnium primi per Nonium Gallum in ordinem armis redacti sunt: frustra euocatis in auxilium Germanis. Sequuti Treuerorum exemplum Morini parem fortunam experti sunt. Nam eos & alios quosdam qui vnâ defecerant, C. Carrinas Galliæ Procoss. subegit. Tum victi nuper ab Agrippa, vt dictum est, Aquitaniæ populi, quippe

A. V. C. DCC. XXVI.

Tibull. l. 1. eleg. 7. qui plus cæteris Galliæ populis libertatem sibi ereptam esse indignarentur, ab M. Valerio Messala Coruino debellantur. breui iterum ab eodem Agrippa subiugandi.

CAPVT TRICESIMVM. OCTAVVM.

Augustus in Galliam profectus.

DVm in diuersis imperij partibus omnia gererentur prosperrimè, belli initium fecere Sicambri, Melone Duce Rheno vicini. accepta sub M. Lollio legato ab his, qui Rheno transmisso in prouincias Romanorum excurrebant clades, amissaque legionis quintæ Aquila, vocauit ab vrbe in Gallias Cæsarem. Quippe illi deprehensos primùm in suo territorio Romanorum quosdam in crucem egerant; deinde Rheno traiecto factâ latè prædâ, cæso Equitatu Rom. contra se missо, Lollium etiam Præfectum vicerunt. Sed audito Augusti aduentu in suos reuersi fines, pacem obsidibus datis accepere ab Imperatore; qui eosdem cum Vsipetis & Tencteris, armis vltra Albim fluuium summouit. ex iis ferociſſimos Sueuos ac Sicambros, qui deditionem sui fecerant, traduxit in Galliam, [a] atque in proximis Rheno agris collocauit. quod bellum auspiciis quidem Augusti gestum, cæterum Drusi priuigni sui ductu administratum fuisse facilè crediderim. atque vt mutatione [b] terrarum quietiores agerent Germani, cccc. captiuorum millia supra Rheni ripam constituit. ita victi ac profligati eas regiones adepti sunt, quas adeptâ victoriâ insedissent.

Strab. l. 7. Suet. in Aug. c. 21. Dio. l. 54.

Eutr. l. 7.

CAPVT TRICESIMVM NONVM.

Alpes auſpiciis Auguſti domitæ.

GAlliam ſic pacatam in aliquot prouincias Auguſtus diſtribuit, tributis impoſitis non vltra modum ciuilem: queſti tamen de Licinio Galliarum quæſtore; ſed victa [a] auro Cæſaris integritas ſupplicio hominem eripuit. tum ſequutæ in Germaniæ & Galliarum finibus ab Rhœtis, Vindelicis & Salaſſis gentibus in Alpinis excurſiones. Princeps Rebellionis Cottius Allobrogum Regulus extitit: hic perdomitis, vt dictum eſt, Gallis, ſolus in anguſtiis latens, vndique locorum aſperitate confiſus, graues Octauio iras mouerat: ſed tandem victis & ſub haſta venditis Salaſſis per Terentium Varronem Prætorem, in gratiam receptus aſcituſque in ſocietatem rei Romanæ, quietem genti præſtitit. ab hoc Alpes Cottiæ dictæ ſunt: quas eâ parte inuias vbi Seguſio eſt, eiuſque ſepulchrum mœnibus proximum, compendiarias & viatoribus opportunas, memorabili apud poſteros munere reddidit. Cæteras Alpium gentes partim ipſe ductu ſuo, partim per Druſum ac Tiberium priuignos ex Liuia Druſilla Neronis quondam vxore compeſcuit.

Dio. l. 54. Suet. ibid. Flo. l. 4. c. 12. Amm. Marc. lib. 15. Eutrop lib 7.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Auguſto honos habitus à Gallis.

ATque vt Germanorum incurſiones velut fræno coercerentur, per Rheni, Moſæ, Albis, Viſurgis, aliorumve fluminum ripam quinquaginta & amplius caſtella [a] direxit, quæ præſidiis impoſitis firmauit. Bonnam & Geſoriū pontibus iunxit. Tantus verò omnium in hunc amor, vt populi Romani amici Reges ſociæque gentes, in

Eutrop. l. 7. eius honorem conderent ciuitates, quas ab eius nomine Cæsareas appellabant. Sed præcipuus Gallorum in Augustum affectus; nam ei tanquam Diuo [c] aram eximiæ dignitatis, cum titulo gentium sexaginta quæ singulæ statuas ibidem singulas affixerant, Lugduni erexere; quâ in vrbe ad Rhodani & Araris clarissimorum amnium confluentes sitâ, cùm Galliarum motus præsens componeret, morari consueuerat, ad hanc verò Aram certamen [d] Græcæ Latinæque Eloquentiæ institutum fuisse accepimus: quo qui vincerentur, aut præmia victoribus conferre, aut eorumdem laudes, quod summæ ignominiæ fuit, componere cogerentur. hos autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongiâ linguâue delere iussos ferunt; nisi aut ferulis obiurgari aut proximo flumine mergi maluissent. Verùm ea, vt mox dicturi sumus, certaminis lex à C. Caligula lata fuit.

A. V. C. DCC. XLII. Iuuen Sat. 1. Strab. l. 4 Dio. 54. Bud. 4. de asse- Suet. in Aug.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Galliarum Diuisio per Augustum.

Plin. l. 4. c 17. Suet. in Iulio.

CÆterùm sic redacta in Prouinciæ formam Gallia, Romanorum imperium agnouit, iure & legibus mutatis; securibus subiecta: nonnullis tamen ciuitatibus libertati suæ relictis. cuiusmodi fuere Neruij, Suessiones, Lingones, Rhemi, Hedui. quo etiam tempore in præcipuas ciuitates, &, vt vocant, capita gentium, quibus aliæ minores obnoxiæ erant, distinctam fuisse Galliam accepimus. Iulius Cæsar Galliarum victor in quatuor duntaxat partes, seu vt vocant Diœceses, Narbonenses duas, Germanicam vnam, & Belgicam vnam distribuit: Augustus deinde in Lugdunensem, Belgicam, Germanicam, Viennensem, Narbonensem, Aquitanicam & Alpes: mox quia latè patebant singulæ, in singulas alias siue in secundas, tertias & aliquando, plures di-

Isid Scalig in Notit. Itin Ant.

uisæ sunt. ac numero quidem ferè XVII. extitere : Viennensis, Narbonensis 1. Narbonensis 2. Aquitanica 1. & 2. & 3. quæ Nouempopulana etiam vocabatur. Alpes Graiæ seu Pœninæ ab Herculis in Hispaniam, & Hannibalis in Italiam expeditione, alij à sacro vertice quem Penninum incolæ vocabant. Alpes Maritimæ, Belgica 1. & 2. Germanica 1. & 2. Lugdunensis 1. 2. 3. & 4. ac denique Maxima Sequanorum à Maximo Tyranno sic dicta. *Pij Am. Mar. l. 15. Liu. l. 23.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Galliarum ciuitates clarissimæ.

NEque alienum erit [a] ab instituto opere, Principes ciuitates, iisque velut subiectas ex antiquâ partium, partim ex sequentium temporum diuisione hic attexere.

SVB VIENNENSI PROVINCIA continentur Ciuitates.

XIV.	1. Vienna,	*Vienne.*
	2. Geneua.	*Geneue.*
	3. Acussiorum Colonia.	*Grenoble.*
	4. Alba Heluiorum, *vel* Castrum Viuario.	*Viuiers.*
	5. Dia Vocontiorum.	*Die.*
	6. Valentia.	*Valence.*
	7 Auenio.	*Auignon.*
	8. Arelate.	*Arles.*
	9. Carpentoracte.	*Carpentras.*
	10. Massilia.	*Marseille.*
	11. Augusta Tricastinorum.	*S. Paul Tricastin.*
	12. Vasio Vocontiorum.	*Vaison.*
	13. Arausio.	*Aurenge.*
	14 Cauillio.	*Cauaillon.*

Sub Narbonenſi 1. continentur Ciuitates.

VIII.	1. Narbo Martius.	*Narbonne.*
	2. Toloſa.	*Tholoſe.*
	3. Bitertæ *vel* Blitera.	*Beziers.*
	4. Agathe.	*Agde.*
	5. Nemauſus.	*Nyſmes.*
	6. Mugalone.	*Narbonne prés Monpellier.*
	7. Luteua,	*Lodeue.*
	8. Vtica.	*Vzez.*

Sub Narbonenſi 2. continentur Ciuitates.

VII.	1. Aquæ Sextiæ.	*Aix.*
	2. Apta Iuliâ.	*Apt.*
	3. Reius.	*Riez.*
	4. Forum Iulium.	*Freius.*
	5. Vapingum.	*Gap.*
	6. Segeſtoreum.	*Ciſteron.*
	7. Antipolis.	*Antibe.*

Sub Aquitanica 1. continentur Ciuitates.

VIII.	1. Auaricum.	*Bourges.*
	2. Gergouia.	*Clermont.*
	3. Segodunũ Rutenorũ.	*Rodais.*
	4. Albauguſta.	*Alby.*
	5. Deuona Cadurcorũ.	*Cahors.*
	6. Ratiaſtũ Lemouicũ.	*Limoges.*
	7. Minate Gabaiorum.	*Mende.*
	8. Anicia Velaunorum.	*Le Puy en Vellay.*

Sub 2. Aquitanica continentur Ciuitates.

VI.	Burdegala Bitur. Vibiſ.	*Bordeaux.*
	Aginnum.	*Agen.*
	Incoliſma.	*Engouleſme.*
	Mediolanum Santonum.	*Sainctes.*
	Auguſtoritum & Limonum.	*Poictiers.*
	Veſonna Petrocoriorum.	*Perigueux.*

Sub Aquitania 3. Nouempopulana, ciuitates continentur.

XII.	Augusta Auscíorum.	*Auch.*
	Aquæ Tarbellicæ.	*d'Acqs.*
	Lacturacium.	*Lectoure*
	Lugd. Conuenarum.	*Comminges, S. Bertrand.*
	Consorannum.	*Conserans.*
	Ciuitas Boatum.	*Bayonne.*
	Benecharnum.	*Lascar.*
	Ciuitas Adurensium, *seu* Vicoiulium.	*Ayre.*
	Cossio Vasatum.	*Bazas.*
	Turba, *siue* Tursa.	*Tarbes.*
	Illuro.	*Oleron.*
	Elusaberis olim metrop.	*Eause.*

Sub Alpibus Graiis continentur.

II.	Ciuitas Centronum.	*Tarentaise.*
	Octodorus Veragrorum, *seu* Vallusium, Vallensium.	*Sainct Maurice ou Syon.*

Sub Alpibus maritimis.

VIII.	Ebrodunum.	*Embrun.*
	Dinia.	*Dine.*
	Diuitas Sollinienſium.	forte *Souliers.*
	Sanicio.	*Senez.*
	Glanateua.	*Glandeues.*
	Ciuitas Rigomagenſium.	Incognitæ.
	Ciuitas Gamelanenſiũ.	
	Venticum.	*Vences.*

Sub 1. Belgica continentur.

XIV.	Augusta Treuer.	*Treues.*
	Diuiodurum Mediomat.	*Mets.*
	Tullum Leucorum.	*Toul.*
	Virodunum.	*Verdun.*

Sub Belgica 2. Ciuitates continentur.

XII.	Durocortum Remor.	*Rheims.*
	Augusta Suessionum.	*Soissons.*
	Catalaunum.	*Chaalons*
	Augusta Veromand.	*Sainct Quentin.*
	Regiacum Atrebatum.	*Arras*
	Camerâcum.	*Cambray.*
	Tornacum Neruiorum.	*Tournay.*
	Sylua nectum.	*Senlis.*
	Bellouacum Cæsaromagus,	*Beauuais.*
	Samarobriua Ambian.	*Amiens.*
	Morinum à Car. V. Imp. deletum.	*Terouanne.*
	Bononia Gessoriacũ.	*Boulogne.*

Sub Germanica 1. continentur Ciuitates.

IV.	Moguntiacum.	*Mayence.*
	Argentoratum.	*Strasbourg.*
	Nouiomogus.	*Spire.*
	Nemetum, Ciuitas, *siue* specula VVangionum.	*VVormes.*

Sub Germanica 2. continentur.

II.	Colonia Agrippina, *siue* Augusta Vbiorum.	*Cologne.*
	Ciuitas Tungrorum.	*Tongres.*

Sub Lugdun. 1. continentur.

V.	Lugdunum.	*Lyon.*
	Augustodunum.	*Austun.*
	Audomatum.	*Langres*
	Cabillonum ad Ararim.	*Chaalons sur Saone.*
	Matisco.	*Mascon.*

Sub Lugdun. 2.

VII.	Rothomagus.	*Rouen.*
	Ciuitas Baiocassium.	*Bayeux.*
	Ingena Abricantorum.	*Auranches.*
	Ciuitas Eburouicum.	*Eureux.*
	Sagium, *siue* Sesuuium.	*Seez.*
	Lexobium & Lexouium.	*Lisieux.*
	Castra Constantia.	*Coutances.*

Sub Lugdun. 3.

IX.	Cæsarodunum Turonum.	*Tours.*
	Cænomanum,	*Le Mans.*
	Quidam.	*Vendome.*
	Vindinum rectius.	*Rennes.*
	Condate Redonum.	*Angers.*
	Iuliomagus Andium.	*Nantes.*
	Condiuincum Nannetum.	*Cornuaille*
	Curiosopitum, Cyanæium & Venetum quibusdam Vindana.	*Quinpert.* *Vannes.* *Lautrec.*
	Ciuitas Osissimorum.	*Leondoul*, ou *Leon.*
	Neodunum Diablintrium.	

Sub Lugdun. 4.

VIII.	Agendicum Senonum.	*Sens.*
	Autricum Carnutum.	*Chartres.*
	Antissiodorum.	*Auxerre.*
	Augusto bona Tricassium.	*Troyes.*
	Genabum Aurelianorum.	*Orleans.*
	Lutetia Parisiorum.	*Paris.*
	Iatinum Meldarum.	*Meaux.*
	Nouiodunum.	*Noyon.*

Sub maximo Sequanorum.

VII.	Vesuntio Chrysopolis.	*Besançon.*
	Auenticum.	*Auenche.*
	Basilea.	*Basle*
	Viridunense,	Castra ad Rhenum incognita.
	Ebrodunense.	
	Argentarcense.	
	Rauirense.	

Finis Libri tertij.

FLORI GALLICI,

LIBER QVARTVS.

SVPERIORIBVS libellis, veterem ante Christum Galliam, Gallorumque in varias orbis terrarum gentes incursiones, excitat a extinctaque passim regna, ac denique res ibidem à Romanis Ducibus in Gallos gestas, breuissimo, vt instituimus, & in actum collecto stylo exposuimus: Hoc Quarto qui Flori Gallici postremus est; per cccc. circiter annos ab Augusti imperio, ad Theodosij Magni excessum, siue ad Honorij & Arcadij imperatorum fratrum initia, Galliarum statum, & innumeras clades eò scilicet confluentibus vndique Barbarorum ingentibus copiis, acceptas euoluemus: donec regionem illam Europæ pulcherrimam, Franci fractâ aut certè multum debilitatâ Romanorum potentiâ, sibi armis asserent. Atque vt inde initium habeamus, vnde cœpit Saluatoris nostri Dei humanitas hominibus innotescere; de eius natalibus, quo illi tempore contigerint, aliquid præmittemus.

CAPVT PRIMVM.

Christi Natiuitas.

Augustus Imp. A.V.C. DCC. LII.

AVgustus Cæsar a pacato, vt dictum est, orbe terrarum, bis clausum ante se, sub Numâ & victâ imperij æmulâ Carthagine Iani templum, tertiò clausit, tùm anno circiter imperij sui XXXIIX. cùm edicto describi orbem imperasset, *Christus Iesus* ex Virgine nascens, quem illa diuino hausto Spiritu conceperat, sine vllo viri attactu vero virginali intumescente; censui Romano addici ascribique voluit. Quo etiam tempore *Dominum* se Augustus appellari vetuit, quasi is nasceretur qui *Rex Regum est, & Dominus Dominantium.* Nihil ad felicitatem Augusti addi potuit augustius, & nobilius, quàm vt eius Principatus Christi Seruatoris Natalibus nobilitaretur. Eo igitur nato, nouus mihi rerum ordo nascitur, noua temporum, fastorum, b annorumque series; nouus ille Sol, & sole hoc quem intuemur, quo illustramur antiquior; vt naturæ rerum ordinem aliquali modo nouum, vitæque hominum rationem nouam: sic nouum suscepto operi in medià prope sui parte computum annorum, imponet statuetque.

Suet. in Aug. Dio. l. 51. Oros l. 6. c 22.

Aug. Imp

CAPVT SECVNDVM.

Augusti clades domesticæ.

MAgna tunc temporis Galliarum quies; cùm nec Augustus superbè imperaret, a nec Galli tam moderatæ dominationis statum abnuerent. Cæterum quò securius imperium, vt instituerat, administraret Augustus, subsidia dominationi quæsierat, cùm fatorum iniquitas, & *nunquàm ex toto mortalibus euenens fortuna*, eadem distinctis temporibus eripuit, *vsque adeò nulla est sincera*

Ouid. Met. 7.

voluptas : sollicitumque aliquid lætis interuenit. Non ætatis, non affectus Principis, non dignitatum habita ratio: Marcellum adolescentem Pontificatu & Curuli ædilitate donatum, imperij si quid accidisset successorem mors immatura abstulit. M. Agrippa, quem ad tertium Consulatum & Tribunitiæ potestatis societatem euexerat, generumque fecerat Principis amicitia, [b] & ex eo geniti Principes iuuentutis Caius & Lucius, quãquam xx. ferè annorum interiecto spatio; continenti penè fato viuis erepti sunt. Tiberius Nero & Claudius Drusus priuigni, vltima spes, iam prouectum senectute ægrumque sustentabant: Sed *quàm rarum est felix idemque senex*! citò Drusum Consulem, annos agentem xxx. lapsum equo Germanici motus rapuere. In Tiberium, Caio & Lucio Cæsaribus intra trienniũ sublatis, cuncta vergere: filius, collega imperij, consors tribunitiæ potestatis assumitur: & quò vsu imperandi imperio assueseeret, salutari Principibus exemplo, omnes per exercitus ostentatur, omniumque [c] fidei commendatur. Nihil enim Agrippam [d] Posthumum moror, qui proiectus in Planasiam insulam Corsicæ vicinam, initio Tiberij principatus per Centurionem interfectus est.

Aug. Imp.

Sen. Here. Oet.

Dio. l. 55.

CAPVT TERTIVM.

Clades Variana per Gallos.

CÆso in Germania, seu veriùs in Gallia Celtica, cum fortissimis legionibus Q. Varo, grauiter turbatum Augusti animum ferunt, adeò vt vix [a] somnum caperet: eoque liber, identidem inclamaret, Vare redde mihi legionem. is Syriæ [b] quondam præpositus, imperium Germaniæ acceperat: inde in Galliam, quæ imperio addita fuerat, profectum, Gentem illam seruilem in modum tributis onerare cœpit: atque vt *Prouinciæ nouis oneribus turbantur*, ægre illud Galli ferre: ac tantò acerbiùs quòd ab Augusto humanissimè

Aug. Imp. A. V. C. DCCLXIV. Dio. Nic in Aug. Tac 4. ann.

adhuc habiti quieuiſſent. nec tamen aperte deficiunt; ſed [c] ſimulatâ beneuolentiâ in eius caſtra quaſi ſocij futuri eſſent conuolantes, eum nihil tale cogitantem inuadunt, conciſoque pénitus Rom. exercitu Varum cum aliquot clariſſimis [d] Ducibus ad mortem ſibi conſciſcendam impulerunt. Veritus Cæſar ne Galli ſuperatis propere Alpibus in Italiam exſcenderent, coacto Veteranorum Libertorumque quàm maximo potuit numero, non eos modò coërcere (nam Germanis iunctos fama vulgauerat) ſed infamiam tantæ cladis abolere conſtituit. Vnum igitur triſtiſſimæ cladis vindicem Tiberium ſuum reſpexit Auguſtus; qui ſuſceptam iniquiſſimo loco ignominiam armis reſtauraret. Mittitur in Germaniam: ac re geſtâ feliciter, nutantes, & in ſpem libertatis recuperandæ erectas continentes Gallias confirmat. Inſtruit exercitus, præſidia munit: res Galliarum maximæ molis, accenſaſque Vienneníium diſſenſiones pro ſuâ moderatione, magis coercitione quàm pœnâ emollit. Sic quietus rerum ſtatus.

Aug Imp. Pater l. 2.

CAPVT QVARTVM.

Galliarum ſub initia Tiberij quies.

Tiberius Imp.

SEd fine Auguſti ac Tiberij initiis auditis, nam *ferè fit, vt* [a] *mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex Ciuili bello ſpem melioris alicuius fortunæ oſtentet*, Primùm in Pannoniâ ſub Iunio Blæſo, ijſdemque ferme diebus, ijſdemque cauſis in Germaniâ inferiori apud Rhenum turbatum eſt. Regimen ſummæ rei in Germanicis exercitibus penes Germanicum Druſo Tiberij fratre ortum, qui tum agendo Galliarum cenſui intentus, ſumma moderatione, procliuem ad res nouas Gallorum gentem continebat. Huic, vno penè eodemque nuncio, Auguſti exceſſus & legionum ſeditio adferuntur. fauor [b] & ſpes in iuuenem multa, ſed fides in Tiberium, à quo nuper Auguſti iuſſu erat adoptatus, ſuperauit: tantoque impenſius.

Tac. 1 ann. Dio. l. 57.

Tiber. Imp. A C. XIV.

pro eo eniti, quantò spei propinquior, cœpit. c *Fides enim sanctissimum humani pectoris bonum nullâ necessitate ad fallendum cogitur.* Itaque Sequanis & Belgarũ ciuitatibus in Tiberij verba adactis, nouoque (vt moris erat) sacramento initio principatus astrictis; raptim profectus ad legiones, & in castra perductus, prolapsum in rabiem militem, quanta illi comitas! paulùm flexit; Galliarum imprimis laudatâ fide, nihil in eâ discors, nihil turbidum: quippe amissâ virtute pariter ac libertate, orta cum otio segnitia Gallorum animos depresserat. sed cùm plurium d ac ferocium concordia (quæ vetustissima est militaribus odiis materies) modestiam exemisset; vbi seditionem obiurgari audiuere, repentè mutatis animis missionem efflagitant. Destinatum excidio Vbiorum oppidum: periculum etiam erat, ne imbutæ prædâ manus, in Galliarum direptionem statim erumperent. Nam *simul ac furor aliquis militum animos* e *inuasit, paulo momento propagatur, & dirâ scelerum contagione, velut sacramento conscelerata voluntates vinciens, immanitate virium impotenter exultat: deinde rapidi instar amnis effusi, quicquid oppositum facilè disiicit ac transcendit, postremò ægrè in antiquum alueum ac directum iter, hoc est, in priscam disciplinam, & ad ciuile vitæ institutum efferatam multitudinem reuocaueris.* Furentibus ac lymphatis subducta vxor Agrippâ cum infante Caligula in castris genito; pergit ad Treueros, Belgarumque ope ac beneficio, nomini tum Romano subuentum est; exercitus Germanici compressi imperatoris coniux, legionumque alumnus Gallis obsides traduntur.

Sen. ep. 89.

Tac. in vit. Agr.

Tiber. Imp.

CAPVT QVINTVM.

Galliarum Rectores summi viri.

NEque verò id leue est ad Galliarum decus ac gloriam, clarissimis quibusque viris in sortem & præfecturam cessisse eas gentes;

quæ omnium propè vnæ imperij pacem ac ſplendorem poſſent excutere: nec pudebat imperio ſubeſſe Gallos, quibus tanti Duces imperio [a] proximi imperarent. Namque his à I. Cæſare Dictatore relictus M. Lepidus, is qui Triumuir poſtea extitit: D. Brutus, Mun. Plancus, quales quantique viri! iiſdem præfuêre. M. inde Antonius cùm dignitatem & gradum malis, vt ferè fit [b] moribus amiſiſſet. indicatus ab Senatu hoſtis, & apud Mutinam oppreſſus, recuperandæ dignitatis rationem penè nullam ſibi relictam aliam eſt arbitratus, quàm ſi Galliarum opibus niteretur. Auguſtus M. Agrippam, Tiberium & Druſum priuignos, bellis aliquot in Galliis conficiendis præfecit: his Germanicum ex Auguſta Liuia Nepotem ſuffecit: quibus viris, quos tùm Reſpubl. vidit habuitque clariores? Itaque turbantibus Germanicis legionibus, quietos Germanicus publicè extulit; ac tantò lubentius, quòd ad ſupplenda exercitus Romani damna, quod cuique promptum, arma, equos, aurum, obtuliſſent.

Tiber. Imp.

Tac. l. 1. an.

Miſſus inde à Germanico ad cenſus Galliarum P. Vitellius, eius qui mox imperium adeptus eſt auus, cum Cantio. nec de Arminio Germanorum Rege facilis extitiſſet victoria, ni præter Segeſtis ſoceri Sicambrorum, vt volunt, Principis defectionem, Gallicus equitatus primam hoſtium aciem perrupiſſet: nec minor peditum virtus enituit. Sagittarij fundebantur, ni Gallicæ cohortes ſigna obieciſſent. Tum crebris epiſtolis à Tiberio reuocatur Germanicus; anxio ſcilicet, vt *ingenia Regum prona ſunt ad formidinem*; ne Germaniæ victor, Gallorumque ſtudiis, vt erat, ingens & militum, oblatum toties imperium aliquando aſſumeret, quippe *Diſplicent Regnantibus ciuilia ſi'iorum ingenia* hæc vna properandi facinoris cauſa fuit. Nam Patris artibus, per Cn. Piſonem veneno periit Antiochiæ: Piſo cuius egregiâ operâ Germanicum ſuſtulerat Tiberius, ad ſcalas mox Germanias in ſceleris pretium tractus eſt.

Tiber. Imp. Tac. l. 2. Annal.

CAPVT SEXTVM.

Rebellio Gallorum sub Tiberio.

A. C.

NEc ita multò post Galliarum Ciuitates sub- 23.
sidiis oneratæ ac pressæ; ad hæc priscæ [a] libertatis vltra omnem modum auidæ, rebellionem cœptauere. Initium ab Treuiris & Heduis, Iulio Floro & Sacrouiro nobilissimis Gallorum seditionem fouentibus hortantibusque, ac facilè qui- *Tiber. Imp.*
dem comprimi posse visa est primùm, cùm orta li- *Tac. l. 3.*
centia à paucis in omnes se repente vulgauit. hi *Paterc. l. 2.*
(vt mos est in simili re) imperitorum animos, fe-
rociſſimo quoque assumpto; eos quos vulgò [b] egestas, conscientia flagitiorum, rerum [c] nouarum spes, ad fœda quæque audenda excitare solent, impellit paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die, seditiosa disserens, Tributorum onus grauissimum; sæuitiam ac superbiam Prætorum exposuit: ecquando ausuros libertatem asserere, nisi florentibus adhuc suis rebus, inopi Italiâ, amisso Germanico, inualido mutuis dissensionibus imperio? Satis per tot retrò annos peccatum ignauiâ: nullum tot malis remedium, quàm vt armis patriam suã, vxores, liberos, cæteriſque rebus potiorem, ac ipso denique spiritu chariorem libertatem resumerẽt. quid sperarent vltra, quibus *aut honestè moriendum, aut quod tristius morte est, d in seruitute viuendum*? Andegaui & Turones primi omnium in armis; sed citò oppressi sunt irritâ Sacrouiri proditione. Iulius Florus Cæsis Romanis negotiatoribus (tunc enim referta Gallia negotiatorum erat, plena Ciuium Rom. ac nemo Gallorum sine Ciue Rom. quicquam gerebat negocij; ne nummus quidem in Gallia sine Ciuium Rom. tabulis commouebatur) cùm inconditam multitudinem obæratorum aut clientium vocasset ad signa, in Arduennam syluam disiectus est: vbi rebus *Curt. l. 8 c. 7.* *Cic. pro Font.* *Tiber. Imp.*

desperatis, suâ manu cecidit, immaturæ rebellionis pœnam referens.

Sed longè maior Heduorum tumultus, simili tamen exitu compositus. Nam Sacrouir ingenio ac manu promptus, Augustodunum caput gentis cum nobilissimis adolescentibus, qui in eâ ciuitate liberalibus disciplinis operam dabant, occupat, vt eo velut [e] pignore parentes haberet suæ voluntati obsequentes. quod vbi Romæ nunciatum est rem augente famâ, vt *nunquam ad liquidum perducitur: sic omnia, illa tradente maiora sunt*; mœrere optimus quisque; Gallias in armis vniuersas, in societatem rebellionis assumptas hinc Germanias, inde Hispanias, trepida ciuitas incusare Tiberium, quod in tanto rerum motu accusationibus audiendis incumberet: eò ipsum aduertere, vnde maius reipublicæ periculum, debuisse. Immotus aduersus eos sermones Tiberij vultus [f] animusque; fixumque habuit quamuis, *otium serendis rumoribus natum alere hac ratione videretur, non omittere caput rerum Romam, vnde in omnia regimen*: Quasi ea longè vulgatis esse leuiora comperisset. Nihilo seciùs Silium cum duabus legionibus eò mittit. ab hoc primùm Sequanorum fines Heduis vicini euastantur: mox Augustoduno promouentur copiæ, nec segniùs Sacrouir, quippe cui manu tutanda esset Rebellio, in patentibus locis agmina explicat: omnesque suorum ordines, equo præuolens ad patriæ & libertatis defensionem, veterumque factorũ memoriam renouandam accendit; victis seruitutem, libertatem ac gloriam victoribus memorans, pro quibus emori dulce, [g] & decorum semper ingenui visum fuit. Plura parantem Silius ex aduerso occupat. nec Romanorum impetum ac virtutem incondita multitudo ferre potuit; nec diu turbatam primâ hostium impressione aciem restaurare Sacrouir conatus, repente victus in oppidum fugâ se recipit: sed metu deditionis in proximam villam cum raro familiarium comitatu diuertit: vbi turbatus [h] animo cùm nec consilium vllum opportunum, nec spes firma in tanto periculo suc-

Curt. 9.

Tac. lib. 1. Curt. l. 8.

Tiber. Imp.

curreret, veritus quod omnium maximè horrebat, ne Romanorum in manus laberetur, suo se ferro transuerberat. reliqui quasi Ducis sui Manibus missuri inferias, mutuis vulneribus occubuere.

CAPVT SEPTIMVM.

Christi mors.

ANnus agebatur imperij Tiberij Cæsaris XVII. cùm ex Diuino decreto, prodente discipulo, petentibus Iudæis, Iudicante Pontio a Pilato Syriæ Præside, quem quadriennio interiecto malorum, quibus continenter diseruciabatur compendium mortis celeritate quæsiisse ferunt Viennæ ad Rhodanum; in Crucem fixus morte turpissimâ, hominum gentem æternæ mortis pœnæ addictam, ad vitam & salutem reuocauit, vitæ & mortis arbiter ac Dominus IESVS-CHRISTVS. Vigebat adhuc quæsita ab Augusto pax, excitatæque nonnunquam inter exercitus seditiones, nullo negotio per legatos extinguebantur. Agitatum etiam in Senatu per Tiberium vt CHRISTVS Deus haberetur; sed Seiano potissimum aduersante, prohibitum edicto Senatus: vrbe exacti qui nouam illam vitæ ac religionis rationem sequerentur. Dedit pœnas impietatis, quanquam rerum nouarum quas moliebatur nomine Seianus; & Senatorum pene omnium continuatis aliquot mensis cædibus, curia restagnauit. *Tiber. Imp, Oros. l. 17. c. 4. Euseb. in Chro. Cassiod. ibid. A. C. 34. Oros. ibid.*

CAPVT OCTAVVM.

Gallia per Caligulam spoliata.

AC ea quidem Romæ: apud exteros quieta omnia nihil discors; quippe Augusti principis felix adhuc memòria, prouincias facilè in fide continebat: sed Caligulam huius otij puduit, quasi creptâ sibi gerendæ rei materiâ. *Caligula Imp Oros l. 7. c. 5. Dio. l. 59. A. C. 40. 41.*

Itaque magno & incredibili apparatu Germaniam Galliamque percurrens, viribus ociosis hostem quærere visus : ciuitates quamuis obsequentissimas, & ditissimum quenque, impositis criminibus spoliauit : alios nouarum rerum, hos insidiarum insimulatos necabat, & erat omnibus [a] commune crimen diuitiæ, vt qui bello grassari non poterat, & pacem orbis armorum furore conuellere, sæuiret in priuatos. Restitit in orâ Oceani contra Britanniæ prospectum, ad Iccium ferè portum : receptoque in fidem Aminio, Canobellini Britannorum Regis filio, quasi vniuersâ traditâ insulâ victor; vastatis, quà iter erat, prouincijs Romam reuersus est. Ad Triumphi pompam, quis credat? nullius hostis nisi publicæ duntaxat quietis, procerissimum quemque, ac nonnullos ex principibus Gallorum sepositi. Hic (vt prædiximus) in Galliâ miscellos ludos, Lugduni instituisse fertur: quâ in ciuitate ad Augusti Aram Græcæ Latinæque facundiæ certamen fuit : sed quæ in cætero barbaries? pœnam victis sæuam & impiam imposuerat: Nam vel ferulis obiurgari, vel in profluentem mergi, vel scripta sua, linguâ delere, aut victoris laudes victum componere edixerat. Mirum est, quo ille studio & ambitu triumphum optauerit. Gallis Græcisque aliquot, vno eodemque tempore condemnatis, ferox crudelitate imperator, Gallogræciam subegisse se vulgò gloriatus est. Huius fuit vox index crudelitatis, *vtinam P. R. vnam cervicem haberet.*

Suet. in Calig c. 44. & 47. Calig. Imp.

Iuuen. Sat 1. Suet. ibid. c 20. Strab l. 4. Suet. c. 29. Tac. an. 11.

CAPVT NONVM.

Galli in Curiam asciti per Claudium.

A. C. 44. *Claudius, Imp.*

QVo temporis tractu sub initia nimirum Claudij imperatoris, A. Vitellio & L. Vipsano Coss. agitatum de supplendo Senatu, Galliæ quæ Comata dicitur primores iure ciuitatis iampridem donati, ius honorum adipiscendorum in vrbe, flagrantissimè postulabant. Ingens super eâ

re variusque primorum ac ciuitatis principum rumor; dissentientibus multis, & Romana maiestate indignum clamitantibus, si Transalpinæ gentes, in Curiam irrumperent: ac eorum potissimùm nepotes qui captâ vrbe, prostratis toties exercitibus Senatorum olim iugulis enses indiderant, insignia patrum decora magistratuum assequerentur. Sed in contrarium differens imperator, cùm iam insignes Galliæ Narbonensis viri transiissent in numerum: victis Gallis à D. Iulio datum in a Senatu locum; quid iam assuetis imperio, qui tanto studio honorem amplissimum ambirent; nec amore in rem Romanam Romanis cedere viderentur? tantâ potissimum ac tam fidâ pace quietis, vix enim eo ferè tempore cohors integra Gallias continebat, asciri voluit iussitque. Itaque orationem Principis secuto Patrum consulto, primi omnium Hedui, ex antiquissimi fœderis, & fraterni cùm Pop. Rom. nominis memoriâ, ius Senatorium in vrbe adepti sunt. Nec visum id Reip. indecorum, vt magistratibus æquarentur ij, qui moribus, artibus, adfinitatibus mixti, vnum penè populum, vnis sub legibus efficerent, eiusdemque Iuris esse debent, b qui sub eodem Rege victuri sunt. Narbonensi tamen Galliæ, quòd prima omnium Galliæ prouinciarum in Romanam ditionem transiisset, cuique ob insignem Pop. Rom. obseruantiam, id quoque concessum erat, vt altera Italia diceretur, pronior Patrum affectus: quos cùm singulari coleret reuerentiâ, datum insuper, vt eius prouinciæ Senatoribus, haud exquisitâ Principis sententiâ, iure quo Sicilia (quæ prima in Prouinciæ Romanæ formam redacta est) haberetur; res suas inuisere liceret. quod sanè ab ipsius Claudij temporibus, ad imperatorem Theodosium, ipsiusque Arcadij ævum viguisse ferunt.

Ioseph. l 2. c 16. de bello Iud.

Claud. Imp.

CAPVT DECIMVM.

Claudij in Gallos affectus singularis.

Claud. Imp. MIssus etiam ab Claudio in Celticam Cn. Domitius Corbulo : hic coactis in vnum Rom. exercitibus, Chaucos vltra imperij limites summouit : sed rerum gestarum inuidiâ persuasus Claudius, in vrbem confestim Corbulonem euocauit : quem secundò in easdem terras cum exercitu proficiscì iussit : quo tempore illum agrum, qui inter Rhenum & Mosam interiacet fossum fuisse ferunt. Cæterum singularis in Galliam fuit eius Principis amor, nec dubia causa ; quippe Galliarum ciuitates Druso Parenti publicè quotannis supplicabant. ipse [a] Lugduni natus, eo ipso, vt ferũt, die, quo primùm Ara ibi Augusto est dedicata. Druidarum tamen Religiones diræ immanitatis, & ciuibus tantùm sub Augusto interdictas, Tiberij etiam Principatu tolli iussas, penitus aboleuit; quæ tamen, *vt malè relictus* [b] *igne de magno ciuis, resumit vires*; iterum valuere: si tamen ritum illum Sacrorum [c] detestabilem à Britannis, vt ferunt, acceptum excipias, quo Mercurio humanis litabant hostiis, nam ea penitus abolita feritas interiit,

Dio. Nic Claud. Plin. Sen. Trad. act 3. Pith. Adn. l 7. c 3.

CAPVT VNDECIMVM.

Gallia Christiana.

Claud. Imp. ITa sensim errores gentilitios immanemque superstitionem Galliæ exuebant, vt facilius mox Christianorum sacris tingerentur : quippe his ferè temporibus nec multorum annorum spatio diuisis, per diuini spiritus viros, cœpit primùm Christianæ religionis sidus clarissimum, [a] his Gentibus affulgere: Massiliam nobilissimam Phocensium Coloniam appellentibus iis, in quos quòd

Act. Magd. 22.

propius Christo adhæsissent maioribus odiis Iudæorum impietas exarserat. hi naui sine vllo remigio in certum periculum impositi, eò ad remigantibus haud dubiè Angelis directi sunt, vt futura aliquando maior Pietas, & Christianissimi Reges post cccc. circiter annos imperaturi. Inde submissi à Principe Apostolorum, qui Galliam veræ religionis cultu ac præceptis latiùs & copiosiùs imbuerent: Martialis Aquitanos, Maternus & Valerius Leodios siue Eburones, Vbiosque, vbi iisdem temporibus Colonia ab b Agrippina Germanici filiâ Claudij imperatoris coniuge instituta est. Sixtus Remos, Sauinianus & Potentianus Senonas & Trecos. Prouinciam Trophimus, Viennam Crescentius, Vrsinus Biturigas, Aruernos Austremonius, Eutropius Santonas, Cenomannos Iulianus, quem leprosum fuisse incolæ persuasum habent, Clarus Nannetas; alijque gentes alias ac ciuitates, vt locis sic & moribus discrepantes vno Dei spiritu, vnâ lege ac religione, vnis sacris instruxere. quo cùm illi munere haud segniter defunguntur, impium ac Barbarum idolorum cultum aut omnino euertunt, aut certè conuellunt.

Iulij. Sigeb. in Chro. ann. post 745. Baron. in an. A. C. 50. Tac. 12. an. Claud. Imp.

CAPVT DVODECIMVM.

Mosellæ & Araris iungendorum Consilium irritum sub Nerone.

INterim suscepti operis velut recisam seriem retexamus. Memorabile illud in Galliis L. Veteris, qui eo tempore exercitibus ad Rhenum collocatis præerat, consilium; quo Mosellam atque Ararim clarissimos amnes, factâ ductâque inter vtrumque fossâ connectere parabat: vt facili longissimarum viarum compendio, remotissimæ gentes in singulare orbis nostri, vt dictitabat, commodum, vterentur. Ex Italiâ per mare primum, dein Rhodano, tum Arari subuectæ copiæ, mox per eum alueum Mosellâ exceptæ; inde funderentur in Rhenum, ac tandem secundo fluuio in

T. Nero. Imp. A. C. 57. A. C. 60. Tac. ann. 13.

Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus, Occidentis, Septentrionum, ac Meridionalis etiam apud nos partis littora, fluuiorum sic sibi mutuò cohærentium adminiculo, committerentur. Nec dubiè transegissèt ille negotium, nî Belgicæ legatus Heluius Gracilis, non tam imperatoris, (cui id formidolosum ac suspectum fore dictitabat) causâ, quàm tanti apud Gallos meriti a inuidiâ, deterruissèt. Hoc plerumque modo honesti conatus ab iis prohiberi solent, qui alienæ famæ laudem in priuatum dedecus verti ac numerari arbitrantur. Nam [b] *Priuatæ res semper officere, officientur que publicis consilijs.*

Liu l. 22.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Neronis crudelitas.

Nero. Imp. Aurel. vict.

HOc ferè tempore Cottio Allobrogum Rege mortuo, Cottiæ Alpes in ius prouinciæ redactæ sunt. At Romæ in optimum quemque Nero grassari ferro cœpit: non Parentis Agrippinæ, non Coniugis Octauiæ, non Præceptoris Senecæ nomine, ab crudelitate deterritus; incitatus per a Tigillinum malis artibus & societate scelerum proximum, facem incendiorum, & proni ad cædes Principis concitorem. Amotus in Galliam Narbonensem Sylla; sed cùm timeretur [b] maximè, atque ad Dictatorium nomen & celebritatem hominis, rerum nouarum cupidine & odio præsentium Galliæ erigerentur, (quippe eruptur us Sylla haud dubiè, [c] si locus audaciæ ac temeritati reperiretur) is Massiliæ ante metum & rumorem, cùm epulandi causâ discumberet, ab immissis percussoribus obtruncatur. eâ cæde, rerum [d] nouarum (nam eius prouinciæ motus nunciabantur) in Gallia spes præcisa interiit.

Sueton. in Ner c. 40.

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Romæ incendium & Christianorum supplicia.

Nero. imp.

SEcutum inde Romanæ vrbis incendium, non dubio Neronis [a] dolos, quem scilicet pudebat priuati sanguinis, niti publicâ clade exopeteret: in priuatos sæuitum improsperè foret, nisi respublica suum etiam vulnus in nobiliore sui parte ostenderet. in xiv. Kal. Sextiles incendij huius principium incidisse ferunt, quo die olim Senones captam vrbem dempto Capitolio inflammauerant: sed tantò hoc mitius visum est, quòd hostium manibus fieret, illud atrocius quòd Principis imperio immitteretur. Subditi rei [b] Christiani, vt publico eos odio cruciaret, in quos priuato sæuire destinauerat; sed tegendum [c] erat duplici religionis ac publicæ vltionis velo, efferatæ immanitatis exemplũ. pœnis igitur affecti acerrimis: verùm crescebat [d] suorum clade religio, & clariùs coruscabat fides impugnata: [e] nec ita tormentorum acerbitate repressa est, vt non magis ac magis erumperet. Absumpti eâ Neronis, quâ in Christianos secundò sæuitum est, rabie; Apostolici ordinis ac Senatus Principes Petrus & Paulus: alter suffixus in crucem; alteri caput resectum gladio est. [f] Vtriusque irrigata sanguine mitum est, quam vberes & copiosas Christianorum fruges ac messes Roma effuderit.

Tac. an. 15.

(Hîc mihi monendus es necessariò, quisquis hos breuissimos Galliarum commentariolos euoluere non grauaris: ne me instituti mei legem prætergredi liberiùs fortassis, quàm par videretur, vnquam putes; cùm aut profanis sacra, aut externa domesticis permixta nonnunquam & inserta reperies. id consultò egi: cùm vt cognitis nostris aliena insuper ac ea præcipuè quę nos aliquo modo

contingunt, intelligas; cum præter eam quam maximi facio, historiæ seriem, de sacris rebus, vt se dabit res, disserere queas: & quo illæ tempore aut imperatore contigerint, aduertas.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Neronis in Galliam amor.

Nero. Imp. A.C. 67. NEc longâ temporum intercapedine à Romano incendio cœpit Lugdunensis conflagratio: [a] clarissimam vrbem, totque pulcherrima eius opera, quæ singula vrbes singulas illustrare possent, vna nox fœdè strauit, tantâ strage, vt quæ *Senec. Ep. 91.* vrbs in Gallia miraculi loco ostendebatur, [b] quæreretur. Vix credas eâ in afflictam Ciuitatem mente Neronem extitisse, vt cladem vrbis quadragies sestertio solaretur; remissa etiam ei pecuniæ summa, quam nuper turbidis casibus obtulerant: in Gallos pronior videbatur, nisi cum spoliandæ prouinciæ opulentissimæ desiderium, satellitum impurissimi greges suggererent. cæterùm *Tac. ann. 16.* nunquam altiori pace imperium conquieuit: toto terrarum orbe diffusa securitas Neronis Principatum commendabat: delectus tamen in Narbonensi Prouincia nuper habiti supplendis more Castrensi Illyricis legionibus; adfecerat Principem gentis alacritas: quippe breuissimo tempore strenui iuuenes nomen dederant, sacramentoque dixerant: quóque eos sibi propiùs ac promptiùs adiungeret, partim Latino, partim etiam Ciuitatis iure sponte donauerat, quin eò prouectus est Neronis in eam Gentem affectus, vt eius beneficio singulari, tributorum, quibus cæteri premebantur, parte maximâ leuarentur, in aliorum inuidiam ægrè id spectantium. Nec latuit Principem cæterorum [c] ira ac liuor: additum frustra indignantibus ludibrium; *Inuidos homines nihil aliud quàm ipsorum tormenta esse*, dictitante Ne- *Curtius.* rone, quo nihil minus est, Neronis exitum ei

Genti haud gratum extitisse, quam tantis sibi beneficiis obstrinxerat: Nam Lugdunensis potissimùm Colonia, vt beneficiorũ gratiam ac memoriam testaretur, contumaci pro Nerone fide animoque Galbianis obstitit, *Adeo pertinax est fides, quam Principis liberalitas muniuit.* Ægrè tamen adducor vt credam placuisse Gallis omnibus tam barbarum tamque impotentem imperatorem, in quem constat primos rebellionis signa Gallos extulisse: orbe deinde vniuerso fœdum libidine, e crudelitate haud ferendum Principem destituente. Author facti Iulius vindex Galliarum Prętor. Mouit ea res Neronem, vt Gallorum cantu indormientem excitatum fuisse, ioco Romani dictitarẽt. Itaque Consulem se ferens (quippe fatale esse reputabat Coss. Gallos vincere) bellũ administrare statuit. Rebelles poterat coercere, nî ab Rufo Germaniæ rectore proditus ac destitutus, de vltimis cogitasset, nam ab eo Vindicis victore pariter[f] desertus, cùm instare coniuratos audiret, adacto ægrè in iugulum ferro, miserabili exitu periit. [f] *Quàm difficile est, miseris etiam perire? nec animum sequitur manus, nec manum gladius: labitur ferrum, tremit dextera, fatiscit mens.*

Tac. an. 17. siue 1. hist.

Suet. in Ner. c 40. Dio. l 63. Zon. to. 2. Latin. Pac.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Gallia à Germanicis legionibus vastata.

NEque hîc prædicari satis potest maiorum nostrorum laus, qui tam fœdæ belluæ, tamque impotentis Tyranni dominationem, quanquam tributis leuati olim, primi à suis ceruicibus amoliri, seseque ex immani seruitute in libertatem vindicare cœperunt. Sed eam ipsam a quam maximè restitutam voluerunt, illo ipso facinore perdidere. Namque sublato vindice, qui in Neronem rebellionem cœptauerat, quasi deiectis rerum suarum munimentis, victoris exercitus insolentiam furoremque experti sunt. Germanicæ legio-

Galba Imp. A. C. 71.

nes, quæ Rufo Duce in Gallias eruperant, quærere rursùs arma, nouasque discordias, nec socios, vt priùs, Gallos; sed hostes & victos appellare incipiunt, pars ea quæ Rhenum accolit in partibus, ac tum acerrima instigatrix aduersus Galbianos. Cæteri remissam sibi à Galba qui Neroni successerat, quartam tributorum partem, notatos ignominiâ exercitus publicè iactitantes, legionum in se odium ex contumaciâ, iraſque concitauere. Igitur Sequanis Heduisque, ac deinde prout [b] opulentia ciuitatibus erat infensi, cuncta agere incipiunt.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Galba à Gallis imperator assumitur, reijciturque.

Galba Imp.

CArthagine nouâ in Hispaniâ agens conuentum Galba, legatum Aquitaniæ, auxilia implorantem audiuit. solutisque illicò literis, quibus ipse Dux assertorque humano generi in rebelles vocabatur, conditionem partim metu, partim spe recepit. Sed cùm eas Galliarum ciuitates Treueros ac Lingonas, quòd cunctantiùs sibi accessissent grauissimis [a] tributis atrocioribusque edictis, quasdam etiam murorum deiectione punisset; quod in eâ re fieri solet, rerum ac fortunarum suarum defensorem quæsiere, ac Vitellium inferiorem Germaniam ingressum imperatorem salutarunt. Tum ille innixus insuper A. Cæcinnæ ac Valentis, qui tum legionibus præerant, viribus; vbi diruptas à militibus Galbæ imagines; mox consensu plurium exutum imperium, quæsita sacramenta resciuit: delatum sibi Coloniæ Agrippinæ imperium assumit. tantus militum [b] ardor Galliarum cõsensu exceptus Vitellium altè extulit. sic amissâ prioris Sacramenti quo se Galbæ nuper obstrinxerant, [c] memoriâ, omnis Vitellio fides, & quod in seditionibus accidere solet, vnde plures [d] erant, omnes fuere. Accessit etiam partibus Vitel-

Suet. c. 9.

Tac. 1. hist.

lianis Valerius Asiaticus Belgicæ Prouinciæ legatus, Iunius Blæsus Galliæ Lugdunensis Rector, Rhœticæ copiæ, Britanniaque. Sic vndique velut sanciente Fortunâ quod Galliæ inceperant.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Galliarum Turbæ sub Othone.

NVnciatur interim Galbæ cædes imperiumque Othoni à Prætorianis militibus delatum: ea res Fabium Valentem ac Cæcinam Italiæ inter intendentes festinauit. Valens per Cottianas Alpes, Cœcina Pœninis iugis digredi iussi sunt. Vastatis vndique regionibus iter imperio sternitur: quæsitæ aduersus quietos belli causæ : vix à Diuioduri Mediomatricum oppidi excidio temperatum. Lingonum Ciuitas Audomatum, cohortium intemperie diripitur: Hedui pecuniam armáque deferre iussi, insuper & commeatibus iuuare compulsi sunt. *Otho Imp. A. C. 72.*

Quo ferè tempore veteres Viennensium qui Galbam, ac Lugdunensium, qui, vt prædiximus, Neronem secuti erant, crebris & infestis cladibus discordiæ redierunt, *Est enim hoc commune magnis literisque ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes sit. & solita inter accolas odia.* hos vno amne & aliquot milliaribus discretos æmulatio, inuidia, odium disiunxerant, adeo vt mutuam vtraque euersionem flagrantissimè postularet. Viennenses vetustas dignitasque Coloniæ seruauit; Fabium pecuniâ [b] emptum constans fama euulgauit. Inde per Allobrogum fines ductus exercitus, Vocontiorum foro ac finibus ferro ignique euastatis. Difficilius Cæcinæ per Heluetios iter, sed incolarum cædibus, ac populatione regionis, apertum est; ægrè seruato ab euersione Auendico gentis capite. Otho Româ, Vitellius Legionibus ferox, sed Galliarum imprimis opibus confisus. Nec dubio victoriæ exitu. Vnicus Othonianæ securitati relictus obex, *Æmil. Chab. Tac. 5. hist.*

Othonis Imp. Narbonensis nimirum Gallia supererat, quam tamen siquid turbare vellet, velut septam vndique cohortibus cõtinebat. Hanc aditi Otho classe validâ & partibus suis fidâ posse confidebat. Igitur lustratâ vrbe, expensisque belli consiliis, cum Pœninæ hinc, inde Cottiæ Alpes cæterique Galliarum aditus à Vitellianis clauderentur, hanc aggredi statuit. Classem cæsorum reliquiis nuper ad pontem Miluium, vrbanis cohortibus & prætorianis viris firmauit; frustra prohibere Vitelliani ne excensio fieret, cõnati sunt. Spes erat, Othonis res in Gallia fore Vitellianis tutiores, cum pugnâ in Italia improsperè ad Bebriacum, non longè à Cremonâ commissâ penitus concidere: incumbente mox in ferrum Duce: qui eo facinore fortitudinis laudem apud suos tulit, quanquam *minimè ciuile sit tergа fortunæ dare.*

CAPVT DECIMVM NONVM.

Vitellij res gestæ in Gallia.

Vitellius Imp. VItellius festinatis per Gallias delectibus adhuc victoriæ suæ nescius & fortunæ, ingentes copias comparabat, cùm audito rerum suarum felici in Italiâ successu, Arare vectus Lugdunum, ibidem victricium & victarum partium Duces habuit potentiæ suæ administros. quo tempore Marici cuiusdam è plebe Boiorum dignum memoriâ facinus Galliam in se omnem conuertit. is simulatione [a] numinis (nam se & Deum & Galliarum assertorem appellabat) Romanorum arma, [b] concitis è plebe hominũ millibus aliquot ausus est prouocare: crescebat in dies multitudo fanatica, cùm ab Heduis & adiectis Vitellij cohortibus prælio fusus captusque inspectante Vitellio à feris laniatus est. Digressus inde Vitellius adiunctis agmini suo Batauis ob fidem, in Italiam festinat, flexu itineris, quo Viennam, quæ Ciuitas nondum partibus accesserat, declinaret;

cæterum Gallicis militibus munitus imprimis. Ortum his ferè temporibus Ticini haud longè à Pado inter Gallos & legionarios certamen è duello, quo Romanus à Gallo confectus fuerat. finitum, donec duæ cohortes hoc tumultu cecidissent. Quippe iram ac pertinaciam diuersarum gentium, vt ferè fit, æmulatio accenderat: resque eò venit, vt frementibus Batauis Gallorumque auxiliis, ne quid auderent truculentius, in suas ciuitates remitterentur. Sic principium intestino simul externoque bello parantibus fatis ferebatur, ignaro suæ mox sortis Principe, vitesque suas vltrò dissoluente. cuius tanto sors visa est dignior, quo sibi incautiùs præcaueret, vino lustrisque confectus ac supinus Princeps, ignarus nimirum non multò pòst, fragilitatis humanæ seipsum exemplum futurum. Non longa ipsius dominatio, nam à Vespasianis victus ac profligatus vaticinium Viennæ sibi dictum datum explcuit: nempe iri interfectum ab homine Gallicano aruspices consulti responderant. ab Antonio Primo Tholosate, cuius nuper artibus Gallias Hispaniasque validissimam terrarum partem ad Vespasianum conuersas fuisse constabat, interemptus est, hoc saltem emolumento & solatio, Galliarum Clades ab Gallo vindicatas. *Vir. Linus Imp.* *Tacit. hist 3.*

CAPVT VICESIMVM.

Luctuosus Prouinciarum status.

SIc mutuis cædibus ad Principatum lubrico, ideſt cruento itinere, mox ruituri Principes, haud ita firmis vestigiis inscendebant: Prouinciæ interim à dissidentibus spoliatæ, diuersis Rectorum suorum cupiditatibus patebant inultæ: nihil non fas cuique, nec illicitum quidquam, cùm incerto principatu fluctuarent, & magnis vtrinque contentionibus, diuersisque Principum studiis omnia iactarentur. Ac talis porrimùm rerum status ab Neronis excessu, in quo Cæsarum

progenies defecerat, orbem afflixit; aliis alios per inuidiam & ambitum expungentibus. quibus turbis, e turbandi passim omnia in remotissimis regionibus licentia suggerebatur.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Batauorum Rebellio in Romanos.

Vespasianus Imp.

FLorebat his temporibus Claudius Ciuilis apud Batauos, regiâ stirpe editus, ingenio ferox ac solers, manu promptissimus, ad simulandum apprimè eruditus; quippe multis se periculis suâ industriâ Neronis, Galbæ, Othonis, Vitelliique principatu vir callidus expedierat. Hunc causæ iratarum multæ, spesque, ex Romanis malis, ad magna incendebant. Vespasiani amicitiam studiumque partium Flauianarum, nondum sublato Vitellio prætendit, vt accita à Vitellio auxilia specie Germanici tumultûs retineret. Vocatis igitur ad epulas primoribus gentis, & vulgi insuper ferociſſimis accitis, iniurias, cædes, cæteraque seruitutis vltimæ mala enumerat. non aliud rebus suis leuamentum quàm si dissidentibus Romanis, conuulsâ discordiis Principum Rep. libertatem assererent suam, a *Viendum occasione, & rapienda incrementa virium; ne si illis occupatis quieuerint, mox aduersus vacuos & quietos maius negotium habeant.* Vocantur ad societatem belli, iisdemque facilè rationibus pertrahuntur Caninefates finitimi, quibus pariter ingrata seruitus. Horum Rex more gentis scuto impositus, & sustinentium humeris circumlatus diligitur. adiunctis Frisiorum nobilissimis ferox, duas cohortes inuadit: castra direpta, Romanique negotiatores trucidati sunt. Ciuilis Sertorium aut Hannibalem se ferens, nondum palam à Romanis desciuerat, sed dolo b grassandum ratus, quò faciliùs & fœdiùs legionum iis in locis reliquias opprimeret. Sed erumpentibus paulatim fraudis indiciis, cùm parum

Iust. l. 38.

Tac. hist. 5.

cederent insidiæ, apertè hostis, non agendum vltra cuniculis, sed vi opus esse, opportuno iam tempore existimauit. Extemplò Romanos ferociter aggressus turbat, Tungrisque ad populares suos & coniuratos transeuntibus, facilè profligat. Nec dissimilis belli ratio in classibus, pari rebellionis exitu commissa est. Vtrobique graue seruitutis iugum excutientibus Gallis. Tum magnâ per Gallias & Germanias famâ libertatis, authores Batani celebrantur: qui quamuis tributorum expertes & omnium immunes, communes tamen dominos insigniter exegerant. Huius populi e gloria vel eò prædicari debet, quòd amictor omnium libertati, quàm suæ fuerit dominationi. Flaccus Ordeonius Galliarum Præfectus, tanto periculo suarum rerum exanimis, frustra occurrere furentibus conatus est. Legatum Lupercum cùm aliquot legionibus Vbiorum, Treuerorum & Batauorum, qui nondum fidem Romanam exuerant, e quitatu auctum, in hostem dimittit: sed diffugientibus primo conflictu auxiliaribus, recedentibusque ad suos Batauis, cæduntur plurimi, paucis ad castra effugium fuit. Inde promotis vltra copiis, Bonnensi victor prælio, cùm Ciuilis nihil hostile amplius auderet, quò securiùs consilia exequeretur (nam in prosperâ quamuis Fortunâ vim & Fortunam Romanorum pertimescebat) suos in verba Vespasiani adigit. Vitellianorum igitur castra coronâ circundat, aggreditur: multâ suorum cæde pulsus, ab expugnatione haud destitit. missos subsidio cum Voculâ Gallos qui Vitellij Sacramentum pertinaciter retinuerant, primo impetu fudit improuisos; mox nouo submisso auxilio, fortuna pugnæ mutatur: nam à Vasconum cohortibus, quas Galba nuper legerat, circumuenti Batani, vastâ cæde profligantur. Nihilo secius Ciuilis castrorum obsidioni incubuit, tandemque ad deditionem obsessos Vitellianos fame [d] compulit. Vascones insequuti contra pactũ Batani, [e] in superioris cladis vindictam, vt vel eo facinore acceptæ ab iis iniuriæ memoriam abolerent, nihil tale datâ fide suspicantes immaniter conciderunt.

Vespasianus Imp.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Galli imperium affectant.

Vespasianus Imp.

AVdita interim per Gallias Vitellij mors, turbis maioribus bellum auxit : quippe Galli cùm in Pannonia, Sarmatia, Dacia, Mœsia, vicinâque Britannià tumultuari audiissent ; tollunt animos, Treuiris ac Lingonibus præcipuis rei turbandæ authoribus : nec parũ accensi vanâ Druidarum superstitione; ob incensum a his ferè temporibus Capitolium, quo incendio Transalpinis gentibus imperium orbis terrarum portendi canebãt. Magnâ igitur elati spe in Romanos impetum fecissent, ni Voculæ artibus, b egregiâque dissimulatione, furẽtibus foret occursum. Tandem eò ventum turbarum, vt Vespasiani metu, cuius res magnæ ac validæ nunciabantur, Romanus exercitus in Gallorum verba iuraret: ac præmisso sacramento, nece c aut vinculis legatorum pignus societatis sanciretur : frustra differente contra Voculâ, quem pudore facinoris de supremis agitantem, liberti seruíque, ne fœdissimam mortem sponte preueniret, elato iam in pectus ferro, vi attinuere. cuius mox cædem Classicus misso desertore maturauit. Cæteros vinciri iussit, quibus peractis adacti in eadem verba, qui apud superiorem Rheni ripàm milites erant; inde Agrippinenses. Ciuilis tamen, (pro authore cœpta rebellio) neque se, neque Batauum quemquam in verba Galliarum adigi passus est, quamuis Romanorum apertè hostis : Centuriones & Tribunos seruari in Galliâ, pignus societatis probauit. Videre erat reuulsas imperatorum imagines, fulgentibus hinc inde Gallorum signis, duobus imperatoribus Classico & Ciuile Gallias Germaniasque in pristinam libertatem asserentibus.

Ausus etiam, quanta omnium rebus turbidis licentia erat ! Iulius Sabinus (quo nuper Duce Lingones aliique iugum excussérant Cæsarem se, &

D. Iulio genitum prædicare, sed à Sequanis breui fusus, festinatum d temerè bellum metu grauioris damni deseruit. Cuius fortunâ moti aliqui Gallorum Principes ac ciuitates, conscientiâ violatæ fidei & sceleris sui, fas & fœdera cum Romanis inita respicere occipiunt. Huius cõsilij principes suasores Rhemi, Romanorum societate ac perantiquâ fide insignes; aduentantibus inde cum Domitiano Vespasiani filio, & Mutiano Duce egregio, validissimis legionibus, extincta rebellio: nam earum metu perculsi Galliarum proceres armis abstinuerunt, neglectis belli incentoribus ac Tullio imprimis Valentino Treuero, miscendis seditionibus idoneo. Nihilo secius Ciuilis ab incœpto destitit; sed Belgarum auia circumiens, molem exercitûs Romani in se traxit. Cerealis in eum multis legionibus succinctus, iis etiam fretus quæ sacramentum receperant, expeditur: dumque passim clementiæ e ac lenitatis fidem, (quæ res valere plurimùm solet) in deditiõs facit; Ciuitates munitissimæ vltrò Romanorum partes, quanquam ferociter defeciissent, amplexæ sunt. Ciuilis aciem in Romanos direxit; ac celeritate vsus, tam opportunè hostem impetit, vt vno nuncio pugnari simul ac vinci suos Cerealis audierit. Desciuissent iterum à duce Romano, nisi viri turbatis in rebus intrepidi authoritas nutantes cõtinuisset. instant trepidantibus Romanis. Galli pro libertate, pro gloriâ, pro prædâ, prælio intenti. vix ruentes prohibent; sternebantur ad internecionem Romani, nisi legionis vicesimæ primæ accursus stitisse impetum. iuuit etiam Romanos insigniter prædę f consectandæ studium: nam enato, vt fit, ex direptione certamine, dissidentes adortus Cerealis, amissas res instaurat: Castris potitur & victor exercitus terrorem latè circumferens, regionem omnem receptis oppidis occupat. Agrippinenses suorum clade territi, vxorem sororemque Ciuilis, relicta sibi belli pignora, cum oppido tradidere. hoc pretium victoriæ fuit haud expectatæ, quámque Romanis, hostium incuria potius quàm sua virtus pepererat. Nerui Tungrique in deditionẽ recepti.

Vespasianus Imp.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Galli rebelles deditionem faciunt.

Vespasianus Imp.

QVo ferè temporis tractu, Vitellij filius, [a] quasi eius vita ac salus imperij tranquillitatem distineret, Mutiani iussu est interfectus. Domitianus antequam Alpibus propinquaret, rerum feliciter in Galliis gestarum nuncios excepit: inde Lugdunum ventum est, vbi saltem è proximo vim ac fortunam paterni principatus ostentaret. Sed iam confecti belli gloriam conpulso in suas paludes Ciuili ad se traduxerat Cerealis, licèt crebris nonnunquam ab hoste damnis, victoriæ nuper partæ fama extenuaretur. Nam *sæpe crebra etsi modica damna famam partæ victoriæ lacerant.* Petentem legionum imperium Domitianum, [b] salubri temperamento eludens, interiora Batauorum haud paucis suorum prælatis gurgitibus hausit, subiit tandem. Instabat vltimum partibus certamen ac discrimen si vincerentur: Itaque Ciuilis & Cerealis ad maturandum summæ rei pondus, suos spe, gloriâ, pudore, ignominiâ diuersis vterque motibus erexere. Compulsus iterum in insulam Ciuilis, vt iter ad se præcluderet, direptâ Germanici mole, Rhenum, versis aggeribus effudit in plana. Tentauit insuper belli fortunam, & ambiguis sæpe præliis conflixit. Sed profligatus acie, dum fugientes reuocat, agnitus petitusque telis, relicto equo transnatauit: nec quidquam vltra mouit in Romanos, sed dedentibus se Batauis, cum Cereali collocutus, memoratâ vetere [c] cum Vespasiano, cùm adhuc priuatus ageret, amicitiâ; seque ad bellum gerendum ab Antonio Primo Vitellij interfectore accitum dictitans, ne Germanicæ legiones, & Gallica iuuentus Alpes transcenderet, damnatâ penitus turbarum memoriâ in fidem & gratiam Romanorum restitutus est.

Tac. 4. hist.

Tac. l. 5. hist.

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Galliarum quies sub Vespasiano & Tito Impp.

COmpositis per eum modum Galliarum tumultibus, ingens Vespasiano quies, nulloque iam repugnante, tot Principum iteratis cædibus, & ferocissimarum Gentium rebellione incertum diu, & quasi vagum imperium suscepit, firmauitque tandem Flauia gens; anno vno ac diebus XXII. ab excessu Neronis vsque ad Principatum Vespasiani imperatoris intercedentibus. Reuertentem circa hæc tempora ex Britannicâ legatione Agricolam Patritium, Vespasianus Aquitaniæ, splendidæ dignitatis administratione ac spe mox Consulatus, cui destinatus erat, præposuit: vbi per triennium circiter quietissimè integerrimèque versatus, magnum sui desiderium discedens reliquit. Nec ita pridem ante, excisa funditus a Hierosolymorum ciuitas, cum Iudæorum propè omni stirpe. Non in Christianos Vespasiani ac Titi filij (eius nimirum quem delicias suas orbis omnium ore ac sensu appellabat) temporibus [b] sæuitum; si vnius propè Lini 2. Rom. Pontificis excipias cædem, hic Saturnini viri Consularis iussu obtruncatus est.

Suet. c. 1. in Vesp. Xiphil.

Tac. in vita Agric A. C. 98

Titus Imp. A. C. 82.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Gallia sub Domitiano.

SEd Domitianum se habere hostem mox experti cuius crudelitatem satellites immanissimi promouentes, edictis teterrimis in Pios grassati sunt, nonnunquam & cædibus alios quippe exitio, nec paucos supplicio affecit. Christi propinquos ad se deductos, quia pauperes, ludibrio [a] habuit

Domitianus Imp. A. C. 86.

Domitianus Imp. A. C. 90.

despexitque: *nihil inde timendum distitans, vbi tanta egestas reperiebatur. Nec eo ingeniosam esse paupertatẽ vt sceptris* b *assurgeret.* Nihil hoc imperatore notatu dignum gestum in Galliis, id vnum comperimus, vitium culturâ Gallis interdixisse. Cedrenus. Quid id mente egerit, dubium: coniectura est; plerumque temulentos ad rixas & rebelliones incendi Gallos resciuerat; nam vbi ea gens vino incaluit, nihil indomitum, nihil inausum; prona omnia, Curt. l. 7. ac facilia putat: debellatura, vt de Macedonibus ferunt, super mensâ Alexandrum.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Gallia sub Nerua & Traiano.

Nerua Imp. A. C. 99.

SIc ab Occidentalibus plagis electa bellorum materies, Orientem per aliquot annos exercuit: vt vicissim pax bellaque a succederent, aliæque gentes aliis quiescentibus, motibus suis ac tumultibus quaterentur. Nanique vbi Neruæ Imperatoris delectu Traianus in Cæsarem ascitus est; is breui Coloniæ Agrippinæ ob eximias & principe dignas virtutes salutatus Imperator, rerum strenuè gerendarum studio, ac donandi immortalitate b nominis desiderio, patriâ propensione, nam Hispanæ originis erat, flagrans, Orientem peragrauit. Armeniam, Syriam, Mesopotamiam in prouinciæ formam redegit, Dacos, Scythas, Sarmatas, aliasque infestas Romano nomini nationes subiugauit. Indis aliisque incognitis Romanis gentibus bellum illaturus erat, nisi altos spiritus consiliaque magni Principis, fatum præcidisset. Magnæ in hoc Principe virtutes eluxere, sed eorum splendorem haud leuis in Christianos crudelitatis turbo excussit: *Adeò nemo extitit cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur*, ab eo quippe quarta & grauis tempestas in Pios exorta, magnum reipublicæ Christianæ vulnus impressit. detonuit tamen & paulò remisit seueritas edicto-

Traianus Imp. A. C. 100. A. C. 101.

Plin. Pan.

rum, vbi per Plinium Secundum vitæ innocentia Paganis ipsis stupenda & admirabilis innotuit constititque, quippe rescripserat imperatori Præfectus, *Christianos* [c] *se sacramento non in scelus obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent*, tanta nimirum Christianæ vis Religionis, tanta vitæ innocentia; vt qui sine scelere & sine maculâ viuerent, iidem vel hostium testimonio niterentur. Dionysium tamen, &, vt nonnulli volunt, Crescentium Viennensium, aliosque aliarum ciuitatum in Galliis Episcopos; turbo ille violentus corripuit. Cæterum tantùm Traiani memoriæ delatum est à posteris, vt in Senatu Principibus acclamaretur, SIS AVGVSTO FELICIOR, MELIOR TRAIANO. adeò *magnum* [d] *est ad nominis immortalitatem benefacere.*

Traian. Imp.

Plin. l. 10. Epist. 97.

A. C. 110.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Gallia sub Adriano & Antonino Pio.

TRaianum excepit Ælius Adrianus, peragratione itinerum & lustratione prouinciarum celebris. in Galliam profectus, cùm quietam reperisset, traiecit in Angliam; vbi Barbarorum excursiones, muro per LXXX. milliária ducto coercuit. Inde in Galliam reuersus Nemausi magnificentissimas ædes Plotinæ Traiani vxori, beneficiorum memor exstrui curauit. Sic ea ciuitas imperatoriæ liberalitatis insignia præferebat, quæ mox imperatorem orbi Romano Antoninum Pium concessura erat.

Adrianus Imp. A. C. 120.

A. C. 130.

Iul. Capit.

Quietæ tum Galliæ: nec, si in tumultus eruptura essent, popularis sui tranquillum, ac verè pium à imperium turbare ausæ sunt; ac eius potissimùm principatum, qui non Christianorum [b] sacra tantùm non odisset, vt probaret, amaretque. Itaque professus palam *non oportere ab seueritate suppliciorum Principatus exordium ducere*, vir ad omnem clementiæ speciem compositus, edicto

Anton. Pius. Imp. A. C. 140.

A. C. 150.

vetuit in eorum mores ac vitæ innocentissimæ rationem inquiri, quos Christianos appellabant.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Gallia sub Ant. Aurelio & Lucio Vero Impp.

A. Aurelius & L. Verus Imp A. C. 63.

SEd quàm *breuis est* [a] *& lubrica rerum humanarum felicitas*! Tranquillam religionis faciem subita ac fœda tempestas discussit. citò illa pietas incredibilis, in singularem impietatem deflexit. Antonino Aurelio Philosopho & Lucio Vero imperantibus, tota se inferorum eluuies in Christianos atrociter effudit. Tum primùm eos vidit Gallia, qui non benè singuli, vt antea, sed confertim ac [b] turmatim pro religione sanguineos amnes profunderent. præcipua tantæ immanitatis facinora vidit luxitque Lugdunensis Ciuitas. Tantùm ibi effusum Christiani sanguinis, vt qui prius Araris (quo flumine Lugdunum præterluitur) vocabatur, sanguineus & voce corruptâ *Sangona* ab fuso immaniter sanguine, quo amnis rubuerat, diceretur. Quis mirabitur in tanta plusquam ferinæ immanitatis licentiâ ac ferociâ, ruptam populorum pacem, [c] & longam orbis quietem passim gentium rebellione violatam fuisse? Parthorum Rex Vologesus audito Pij excessu, geminis imperatoribus bellum grauissimum mouit: Atidium Cornelianum Syriæ rectorem, antequam Rom. exercitus omnia vastantem sisterent, ingenti clade profligauit. eò missus Verus qui rebus feliciter gestis, sibi ac fratri Parthici agnomen peperit. Britanni ab iugo resiliebant: Catti in Germaniam ac Rhœtiam ruperant: Mauri Hispanias, Ægyptum collecti ex agris milites euastabant: Marcomanni alijque Barbari & Quadi graue bellum Pop. Rom. conflauerant; vna denique penè vniuersi orbis in Romanos conspiratio. Sed quæ ab Illyrici limite in Galliam pertingebat,

quo propior, eo grauior erat: huic maiori apparatu rerum incumbendum prudentissimus quisque iudicauit. Hos toto pene orbe tumultus, si Galliarum defectio auxisset, haud sanè pari facilitate Romani exercitus composuissent. Nec passim fuit in totâ Galliâ quies. Turbarunt Sequani; eò Victor iam cæterorum Antoninus, ne contagione latiùs sese rebellio diffunderet, imprimis veritus, maturauit: ac suâ facilè authoritate in officio continuit; quanquam eo digresso maiori statim tumultus exarserint: nam superatis cum exercitu Alpibus, in Italiam eruperunt; sed cùm inconditis suo more agminibus passim grassarentur, occurrit Marcus Pompeiano ac Pertinace legatis copiarum institutis; quo faciliùs victi prostratique sunt. Fama est inter cæsos ordinum cumulos, repertas, miruni dictu, mulieres, quæ vt virili animo, sic habitu decertantes, dignum viris exitum in acie occumbentes sortitæ sunt.

A. Aurelius & Verus Imp.

Zon. Xiphil.

Nec minus dignam memoratu rem præterire silentio vllo modo possum: quanquam enim propositi formâ operis festinationem magis, [d] quàm moram in rebus potissimum ab instituto meo alienis, videatur exigere; cogit tamen nonnunquam stylum externa virtus, & properanti manum iniiciunt orationi, aliarum plerumque gentium [e] facta illustriora. Occupato igitur contra Quados Antonino, conclusas angustis & arentibus locis copias multa quidem incommoda, inuaserant, sed siti potissimùm ex ardore solis vexabantur: nec adaquationis ratio vlla relicta miseris, cùm hostilibus vndique copijs clauderentur. Itaque primùm animi, deinde corpora, vt Alexandri quondam militibus apud Susitanos contigerat, cœperunt deficere: crescebat desperatione sitis; eáque flagrantissimo optati remedij desiderio augebatur: Fortè Antonino militabat legio Melitensis, tota ex Christianis militibus constans: hi cùm imperatoris precibus inducti, Christo supplicassent; ecce collectis repente nùbibus, nam cœlum patentissimum erat, tanta vis imbrium decidit, vt siti enectus exercitus recrearetur. Nec solum id à

d Oes. l. 7. c. 15.

Xiphil. A. C. 176.

A. Aurelius Imp. Deo beneficium fuit : nam fulmina f fulguraque cum grandinum nimbo, ex aduersâ parte coruscarunt, totumque Quadorum exercitum insequentibus tutò Romanis conciderunt. Tum edicto cautum ne Christiani, quibus antea, pœnis ac contumeliis afficerentur. Atque vt celebris extaret rei tantæ memoria, Melitensi legioni g FVLMINANTI cognomentum inditum est.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Gallia sub Commodo.

Commodus Imp. Herodian 1. Xiphil. Lat. Pac. FOuit eam Christianorum tranquillitatem Commodus Antonini Philosophi, quanquam tanti parentis degener filius, non amore quidem religionis, sed Martiæ pellicis Christianæ mulieris affectu : hanc enim vxoris penè loco habuit, nec quidquam petenti recusare sustinebat. Quo tempore Materni audacissimi militis rebellione, in summum vitæ discrimen Cõmodus adductus est. O a *quàm paruis veniunt summa mala principiis*! tenue principium mali, sed Prætorum ignauiâ incuriâque tantum euasit, vt iusto exercitu, in Maternum fuerit opus. quippe is ascitis in societatem consiliorum facinorosis commilitonibus, & quibus ex egestate promptus ad scelera animus esse soleat, ingentem breui sicariorum manum composuit : eò faciliùs ac promptiùs ad latronis vexilla confluentibus perditis, quòd prædæ b communione sibi eos astringeret. Sic breui grassatorum exercitus, vt dixisse imperatori Sacramento crederes, coaluit. dein quasi puderet Maternum agrorum vastitatis, vrbes c inuadit, effractis carceribus vinctos ad signa vocat. Præcipuus rebellium furor Galliam Hispaniamque rapidissimi incendij instar corripuit. euastatis nobilissimis regionibus, diuersis agminibus quò latiùs popularentur, Italiam occupant. Nec maior Hannibalis olim Ro-

mæ aduentu nunciato, consternatio. haud dubiè aliquid ille magnum ausus foret, aut si fors adfuisset, fecisset, nî proditus à suis, capite multatus fuisset. Cæteris diffugientibus in diuersa, pax ingens, quam occultæ tamen Læti Electique insidiæ mox imperatoris cæde indignissimâ violarũt. Quo tempore arsit Romæ magno literarum damno Bibliotheca, singulari maiorum curâ studioque composita, cùm priùs ictum fulmine Capitolium flagrasset. Lucius etiam Britanniæ Rex, frequentibus Christianorum miraculis persuasus, religionem amplexus est; Britannorumque inaccessa Romanis loca (non enim totâ insulâ ante hæc tempora potiti sunt) Christo subdita, pietatis simul ac cultioris vitæ luce clarissimâ nituerunt.

Commodus Imp A. C. 194.

Ado in Chron Tertull. c. 7. cont. Iud.

CAPVT TRIGESIMVM.

Gallia sub Pertinace, D. Iuliano & Seuero Impp.

NOn diuturna Pertinacis optimi & integerrimi senis, non Didij Iuliani, qui imperium à militibus Prætorianis aureis circiter CCL. in singulos collatis fœdè emercatus fuerat, dominatio: vtrumque prolapsi in seditionem milites [a] interfecerunt. tanto motu conuulsum imperium est, [b] vt à diuersis distractum Principibus nullâ ferè sui parte cohæreret. Seuerus ab Illyricis excitibus in Pannoniâ apud Carnutum, magis in Pertinacis vindictam, quam vt imperium merito deferrent, appellatus est imperator. Tùm exauctoratis primùm Prætorianis, æmulos [c] potentiæ suæ armis persequitur, ac Nigrum quidem Pescennium, qui Antiochiæ in Syriâ salutatus imperator ab suis fuerat, capto excisoque Byzantio, vitâ pariter imperioque exuit. Clodium Albinum, is in Britanniâ Galliaque imperatoriam dignitatem pari quo cæteri iure inuaserat, collatis apud Lugdunum in Gallia signis profligatum ad mortem sibi conscisendam [d] ex grauioris pœnæ metu compulit.

Pertinax & D. Iulianus Imp. A. C. CXCV. Xiphil. Herodian. l. 2. Oros. l. 7. c. 16. Seuerus Imp. Eutr. l. 8.

Seuerus Imp.

Seuerum iuuisse ferunt insigniter Numerianum quendam Grammaticum: hic Româ in Galliam profectus, tanquam ab Seuero missus, nam Senatorem se simulabat, ita se gessit adeoque callidè, vt copias ingentes coegerit; ac contractis ex occursu leuibus prælijs Albinum afflixerit. Tum maiore comparato exercitu, collectâque in Galliis pecuniâ, magnum superiori victoriæ adiumentum dedit. Euocatus ab imperatore Numerianus, Senatorij ordinis quam finxerat dignitatem, oblatam constantissimè recusauit: Sed spretis opibus ac honoribus, qui summi ab Seuero deferebantur, paruo contentus, ruri feliciter consenuit. Quis eum virum non mirabitur; qui tanto ambitu pastorum casas quæsierit, quanto ab superbis aulæ Principum frequentari solent? d nimirum ille *modicis rebus longius æuum* esse didicerat.

Xiphil.

Sen. Agamem. Hierodian. l. 3.

Seuerus igitur tantâ celeritate ac felicitate confectis tot bellis, totque imperij æmulis sublatis, in Britanniam è Gallia traiecit: compressis muro siue vallo ab vtroque mari ducto Barbaris, quod idem fecisse Adrianum iam prædiximus, senex admodum fato obiit Eboraci. Huius temporibus, quanquam initio Principatus propensiore in Christianos affectu ob restitutam sibi à Proculo, qui eam vitæ rationem sequebatur, valetudinem, videretur; i contractâ ex florentibus per id temporis religionis rebus Gentilium inuidiâ, impiorum ferox rabies e in Christianæ pietatis cultores immaniter efferbuit: ac Lugduni potissimum, vbi magnæ eruditionis ac Pietatis eximiæ Irenæus, vnâ cum omnibus ferè eiusdem ciuitatis Christianis, à Seueri militibus interfectus, fusum nuper tot piorum sanguinem, suo sanguine renouauit Sæuiit etiam atrociter in suos Seuerus, vt *Verè imperator nominis sui, verè Pertinax, verè Seuerus, & Sylla Punicus* à familiaribus diceretur. Agitatum etiam circa ea tempora à Patribus Christianæ religionis, decretumque, amandato Iudæorum more, vt primâ post XIV. Martij Lunam Dominicâ die, sacer resurgenti Christo dies passim vbique terrarum ageretur.

Tertull. Apolog 35. & 37. A. C. 200. Niceeph. l 4. c. 26.

A. C. 205. Spart. in Seu.

CAPVT TRICESIMVM PRIMVM.

Gallia sub Ant. Caracalla.

Diuisum fratribus imperium, Bassiano (quem ab vsu Gallicæ vestis ad talos demissæ, Caracallum appellabant) & Getæ, naturâ dissimillimis; citò alterius cæde, in Iuliæ matris sinu, vni cessit. Tum velut eo patricidio authoratus Bassianus in optimum quemque, [a] quorum clarissimus fertur Papinianus Iureconsultorum facilè Princeps, ferro grassatus, ad prouinciarum etiam direptionem animum ac manum adiecit. Prima omnium ferocem excepit experiaque est Gallia: domesticis cædibus cruentus, in eam Galliæ partem, quæ Narbonensis appellatur, crudelissimus carnifex profectus, non Principem, sed Tyrannum immanissimum, non imperatorem, sed expilatorem agens, exhaustâ regione Proconsulem iussit trucidari. Tantus inde cæterorum terror qui res agebant, fuit, vt non itineribus eius modò perterrerentur, [b] non aduentu commouerentur, sed ne aspectum [c] quidem ferre vllo modo possent. Ciuitatibus iura sua & immunitates, hominibus Gallis libertatem, quæcumque denium illa erat, quâ nihil huic genti pretiosius est, eripere statuerat, cùm eum opportunus morbus repentè inuasit. ex quo vbi conualuit, paratâ in Orientem profectione, grauissimis quibus haud dubiè iactata fuisset turbis, Galliam fortuna liberauit. Alexandriam, Parthos, Germanas, Getas, partim vi, partim dolo oppressit. Sed Macrini coniuratione [d] Tyranno finis, crudelitati modus, per Martialem [e] gregarium militem impositus est apud Carras.

Antonin. Caracalla Imp. A. C. 214 Herod. l. 4. Dio. Spart. Victor.

CAPVT TRICESIMVM SECVNDVM.

Gallia sub Macrino Heliogabalo & Alex. Seuero.

Macrin Heliogab. Imp.

NIhil Opilij Macrini, nihil Heliogabali principatibus gestum quod hîc proferamus. Augebatur sensim Christianorum pietas remittente paululum Tyrannorum sæuitiâ, aut ex nimio luxu ortâ negligentiâ, Religionis partes parum curante. quanquam non integra ac solida pax obuenerit Christianis, cadentibus nonnunquam ferro aliisque cruciatibus, qui eas partes sequerentur,

Alex. Seu. Imp. A. C. 225. Orig. contrà Cels. Cyp. ep. 63. ad Hisp. Herodia l. 6.

Nec Alexander, quam seueritatem nomine ipso præferret, cùm esset à cædibus & crudelitate omni quam maxime abhorrens, ad a humanitatem verò & beneuolentiam in omnes propensissimus, in Pios exercuit; hinc laudatissima eius vox repetita identidem, & publicis in operibus aureis perscripta characteribus. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; ex Mammeæ Matris Christianæ mulieris, vt creditum est, consilio; b quippe quam Magnus ille Origenes Christianis sacris imbuerat. His tantùm non infensus infestusque, vt faueret vel maximè: nam etiam de templo Christo extruendo cogitauit. quod piissimum imperatoris consilium cùm Ethnici sacerdotes, tùm imprimis Vlpianus & Paulus Iureconsulti clarissimi, cæterùm Christianorum capitales hostes, prohibuere. Rerum insuper grauissimarum mole pressus aliò animum conuertit. Nam Persarum Rex Artaxèrces Orientis prouincias fœdè euastabat. Germani Rhenum ac Danubium diuersis agminibus transgressi, vario imperatorem metu distraxerant: nec leue periculum ex Pannoniâ, Illyrico, Italiâque impendebat, cùm alia ex parte Germanorum excursionibus Galliæ vexarentur. Relictis itaque Orientis rebus, impositis quacumque opus erat, præsidiis, cò quamprimùm aduolat, vnde maius

reipubl. damnum hostis intendebat : missis qui Danubium transgressos reprimerent, ipse ad Rheni ripam cum validissimis copiis festinauit. Pugnatum est aliquot pugnis leuioribus ex occursu copiarum, nonnunquam etiam collatâ acie res gerebatur, maiori sæpe damno Germanorum, quo mirum magis videri debet, missis ad hostes oratoribus, pacem ab iis qui bellum mouerant & inferiores, acie discesserant, ingenti pecuniâ imperatorem fuisse emercatum. Inde amicis pudor, militibus ira ; quam vehementer auxit, vbi veterem castrorum disciplinam, quæ planè conciderat, reuocaturum se professus est ; exauthoratis illicò aliquot Galliarum cohortibus, pronos ad res nouas militum animos, minus iam lucrosum imperium omni pridem consumptâ ambitione aspernatos, adeò accendit vehementer, vt ascito in imperatorem commilitone Maximino, Alexandrum cum Mammæâ parente sæui obtruncarent apud Moguntiacum in Galliis.

Alex. Seu. Imp.

A C. 238. Eutr. l. 8. Herod. l. 7.

CAPVT TRICESIMVM TERTIVM.

Imperij Romani turbæ sub Maximino, Gordiano & Philippo Impp.

VIx vnquam patuit manifestiùs, *Iniqua nunquam regna diu quieta* consistere. Non Maximini, non Pupieni & Balbini, quos ille in Cæsarum dignitatem euexerat, non Gordiani & aliquot insequentium, quos partim Senatus, partim exercitus seditiosè ad dignitatis imperatoriæ fastigium promouerant, longa in principatu quies. hos ad mutuam cædem incitantibus principibus viris, ex vsitatissimis & quasi innatis iis qui præsunt rebus, inuidiâ ac superbiâ. Nec parum eam imperij perturbationem, grassandique impunè per mutuas cædes licentiam promouit, hinc Senatus ignauia ac stupor, indè legionum auaritia fœda, tumultuantibus interim prouinciis, quas

Max. & Gordian. Imp. A C. 240. Iulius Philippus Imp. A V. C. 898.

f

A. C. 247. Capitol. in fine Gordiani. Oros. l. 7. c. 20. Cassiod. in Chro Eusseb. 6. hist. c 27.

Prætorum adiuta discordiis Romanis insolentia vexabat spoliabatque. quantula quies à tot turbis succisa est, millesimo à Conditâ Vrbe anno, singulari apparatu ac pompâ celebrando impenditur; Post tertium scilicet imperij annum M. Iulij Philippi, quem primum omnium imperatorum Christianum fuisse nonnulli constantissimè affirmant. Spes erat fore quietissimos, qui Christo nomen dederant, nisi tumultu militari, ac Decij imprimis fraude cum Philippo filio consorte imperij, Iulius Philippus fuisset oppressus.

CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Gallia sub Decio, Æmiliano & Valeriano Impp.

Decius Imp.

SEnsit mox optimi Imperatoris casum religio, & efferatam Decij rabiem pro Philippi humanitatem habere se orbis indoluit. Sæuitum est in Pios immaniter: compulsique ad idola, impietatem sanguine [a] redimebant Christiani.

A. C. 252.

Quo tempore Galliarum tumultus, Germanorumque cis Rhenum excursiones imperatorem ad sese euocarunt: sed eos motus breui expeditione compressit, extinctis seditionibus, Germanisque vltra suum amnem compulsis. Tum primùm Gothi, immanissima gens, imperium Romanum ingressi sunt: hos grauissima clade afflixit Decius, sed à Gallo Hostiliano proditus, cæso à Barbaris exercitu, & ipse cæsus est. Nec proditor diu fœlix, (si potest vlla esse in scelere [b] felicitas) pactus cum Barbaris, qui iam multas imperij prouincias armis inuaserant, pacem indignissimam, ab ijs interfectus est, qui imperio deinde potiti sunt. Vixque post tertium dominationis mensem Æmilianus pari ac cæteri ratione habitus est: nam ab exercitu Galliarum, qui compositis in prouincia rebus, in Rhetiam & Noricum progressus fuerat, Valerianus in imperatorem ascitus, mox Æmiliani cæde

A. C. 254. *Æmilianus Imp.*

cæde principatum ſtabiliuit. Sic cædibus empti imperatores, non niſi eo quo fuerant modo imperium adepti, ſpoliari poterant; perque infectum aliorum cruore, iter incedentes aſcendenteſque, lubrico ac facili lapſu, tum cùm tutiſſimi videbantur, à ſummo in imum prouoluebantur hunc in modum; nobili eorum quos altè euexerat cruore ludente fortunâ. *Valet ima ſummis mutare, & inſignem Deus attenuat, obſcuraque promens.* *Valeriana imp. A. C. 256.* *Horat. Od. 1.*

Gallienus Cæſar Valeriani filius Gallias à Transrhenanis gentibus continenter vexatas quieti reſtituit. ſed in Oriente res infeliciter geſtæ ſunt à Valeriano: quippe captus à Sapore Perſarum Rege, præterquam quod, *In ſeruitutem cadere de regno graue eſt*, eâ inſuper contumeliâ à victore affectus eſt, vt inſcendenti equum Regi curuato corpore eſſet pro ſuppedaneo. Sic calcato imperio inſultabat Sapor. Poſt vincula Valerianus ne functus fato quieſceret, fœdè laniatus, excoriatus & ſale conditus. Regiæ infœlicitatis exemplum dedit. *Ecquando tulit documenta ſors maiora, quàm fragili loco ſtarent ſuperbi?* tum ab irrumpentibus vndique Barbaris gentibus Romanum imperium quaſi fortunam Principis ſui ſequeretur, lacerari fœdiùs quàm antea cœpit. Græciam, Macedoniam, Pontum, Aſiæque partes nobiliſſimas Gothi occupant; vt eo velut graſſationis initio, maioribus mox Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæque cladibus ſe accingerent. Pannoniam Sarmatæ, Syriam & Meſopotamiam Parthi, Græciam Scythæ euaſtatâ ad ſingularem imperij Romani infamiam Italiâ, inuaſerunt. Germani cæſis ac profligatis legionibus ad Rheni ripam, Galliarum vicinores Rheno regiones, maioribus quàm nuper cladibus affligere. *Sen Thebaid.*

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Franci sub Gallieno.

Gallienus Imp. A. C. 263. Eutr. l. 9. Aur. Victor.

INuitati tot vndique turbis [a] Franci, quorum originem sequenti mox libro aperiemus, per Galliarum direptionem in Hispaniam magnâ vrbium euastatione penetrarunt: direptoque Tarraconensium oppido, in Africam vsque permearunt. Stupebat interim Gallienus, vino lustrisque Romæ confectus: quasi alienas à se imperioque clades audiret, imo videret, ac propè sentiret, [b] proijcebat tamẽ. Dixisses quietum orbem in tantâ Príncipis pace: aut certè desperatis rebus fortunisque suis, cùm seruare non posset, Romanã Reipubl. permisisse naufragio. Nam ventis vndique sæuientibus publica nauis iactabatur, ima summis, paruis maxima toto orbe miscebantur. Nec vnus eo tempore imperator Gallienus audiebatur in castris, sed diuersis lacerata Principibus, quæsita ab Augusto aliisque dominatio subiacebat.

Aur. Vict. Trebell. Pollio. Zon. in Gall.

Interfecto Coloniæ Agrippinæ Salonino Gallieni filio, C. Posthumus imperium Galliarum inuasit. Hic pulsis Germanis, tanto sibi Gallos beneficio deuinxit, vt spretâ imperatoris Romani ignauiâ, vltro eius partes amplecterentur. Gallienus eo nuncio consternatus, vt *ferè multos contra ingenium, perditæ res subigunt recta consulere*; velut excusso [c] tæ solutioris veterno, quippe qui domesticâ atrociùs quàm publicis cladibus læderetur, in Posthumum Francorum opibus & Gallorum potentiâ succinctum, cum ingentibus copiis festinauit. Sed relictis Lolliano ac Victorino Ducibus, in Orientem, quò illum grauia æquè bella reuocabant, magnis itineribus contendere cogitur. Iii à Posthumo profligati, mox post decimum circiter annum, eundem per concitatos milites interficiunt. Sed pertæsi Lolliani austeros seueroſque mores, pari quâ æmulum pœnâ affe-

cère, non felicior Marij ferri opificis, nec Victorini fortuna, aut vitæ exitus nobilior: sua quemque vitia abstulerunt. Prô fidem literarum ac scriptorum! vna muliercula (huic Victoriæ nomen) Victorini vxor, feroces militum animos cruentasque repetitis tot cædibus manus cõtinuit: emptum pecuniâ imperium Tetrico Aquitaniæ præfecto propinquo suo callida mulier, tot iam crudelitatis exemplis edocta ad fluxam legionum fidem, transmisit.

Pari tumultu cæteræ orbis Romani gentes conuulsæ variis Principibus obnoxiæ abripiebantur in diuersa: Mysia, Illyricum, Italia, Transmarinæ etiam regiones, Ægyptus, Thessalia, Mauritania, Africa, totus orbis totis sui partibus distrahebatur. Fortuna Gallienum in Italiam reuocauit, vbi velut è speculâ, naufragium rerum suarum despiceret; ac breui miserabili vitæ exitu Aureoli, qui Rheticis legionibus præerat, artibus periturus, cum Valeriano fratre, apud Mediolanum occideretur.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Gallia sub Claudio & Aureliano.

CLaudius ab exercitu primùm, mox receptâ confestim Mediolani vrbe, à frequenti Senatu imperator appellatus, cùm Gothos in Macedonia, in Italia Germanos ad Mincium amnem profligasset, grassante in exercitu grauissimâ lue, hominem cum purpurâ tertio imperij anno exuit; Quintillus eiusdem frater, ob nimiam integritatem seditione militum XVII. principatus die occisus est. Tetricus interim Galliarum Hispaniarumque, vires Reipublicæ præcipuas, opes tenebat: his munitus Germanorum aliorumque incursus vindicat insigniter: Cuius Principis consilium aut laudare, aut vituperare non ita in promptu est. Dubium, moderationi animi, an

Claudius Imp. A. C. 270. Aur. Vict. Treb. Pol.

Claudius 2. Imp.

pusillanimitati factum sit adscribendum. is sumptâ imperij apud Burdegalam purpurâ, Cæsareisque insignibus filio cognomini collatis, tædio, (vt creditum est) militarium seditionum, tot turbas suâ suorumque pernicie vindicaturus, abiectis imperij notis, Aureliano Sauromatum, Scytharum, Gothorum ac Persarum victori, totum se suaque omnia, exercitûs proditor sui permisit; cùm antea rescripsisset, *Eripe me his inuicte malis; ignarus regnandi qui suorum odia* [b] *nimium pertimescebat.* Sed quis beneficijs seruat fidem! Aureliano aduentanti vt in hostem (nam ita conuenerat) productâ ad speciem acie, inter pugnam dedidit se Tetricus: nec difficulter deinde, vti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt: cùm se ab imperatore suo proditos frustra proclamarent, salutemque suam desertam ab eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit. Tetricus mox in triumphum ductus ignauiam insignem insigni ignominiâ cumulauit. Hunc Lucaniæ aliquantò post præfecit, eleganti ioco hominem aspergens, sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, [c] quàm regnare trans Alpes. Tetrico relictis Galliis, eo quo dictum est modo, ad Aurelianum transeunte, Francos in Galliam irruentes & vagos [d] intentosque populationi sic afflixit legionis sextæ Gallicanæ Tribunus, apud Moguntiacum, vt trecenti ex his capti, septingentis interemptis, sub Coronâ postmodum vænierint.

Aurelianus Imp. A. C. 273. Oros l. 7. c 23.

Fl Vopisc.

Cæterum Aurelianus magnis pace ac bello virtutibus principatum suum commendasset, nî labem maximam inussisset impietas: sæuiit enim in Christianos inmaniter; nec arente subitò manu, à scribendo contra pios edicto, diuinâque vltione digitorum commissuris eneruatis, ab instituto prohibitus est. Itaque Christianorum sanguine imputus ferox imperator quinto ferè principatus anno seruorum fraude à familiaribus occisus est.

Eusseb. l. 7. hist 24.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Gallia sub Probo.

A Vreliano imperatore sublato ministri cuiusdam, cui secretorum officium crediderat, proditione; Tacitus, ac inde Florianus fratres imperium accepere, sed iis vno prope mense sublatis; Probus a non nomine solùm, sed & moribus, quanquam agresti patre, & hortorum studioso genitus, ab Orientali exercitu, Senatu Populoque Rom. flagrantissime exoptantibus. imperio præficitur. Hic initio principatus, auidos Galliarum Germanos, qui auditâ Auteliani cæde, è suis finibus emerserant, multáque oppida munitissima occupauerant, tantâ exegit felicitate; vt cæsâ innumerabili multitudine, non in suas modò terras vltra Nigrum & Albim fluuios compellerentur, sed obsidibus datis imperio se submitterent, Chrocum ferunt eorum Ducem, apud Arelatem captum, diuersis affectum suppliciis meritas pœnas luisse. Tum primùm inuicta hactenus Germania, in prouinciæ formam redacta est. Inde cum Galliam, Pannonias, & Mœsorum colles vinetis repleuisset, Orientem perlustrauit, quo illum Saturnini Galli rebellio accersebat: eodemque tractu temporis ab Gallia Proculo & Bonoso Ducibus turbatum est, LX. ciuitatibus ab imperio desciscentibus. Sed prodentibus Germanis, quorum ope freti in Romanos se erexerant, nullo negotio imperium recepere.

Probus Imp. A C. 280. Euseb. & Cas. siod in Chro.

Vopisc. Aur. Vict. Greg. Tur. hist. Fr.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Francorum virtus sub Probo.

Probus Imp. Eumen. Rhet. Panegyr. Maximiano dict. Zozim l. 1. A. C. 278.

CReſcebat tunc & multitudine hominum, & rerum geſtarum gloriâ ac famâ gens Francorum: his in vindictam acceptæ nuper cladis in Galliam effuſis, ne quid bello vltra molirentur, datæ ab imperatore quas incolerent, terræ: [a] nec illis quidem ſufficientibus, ingens numerus mare inſcendit; quaſcumque oras luſtrauerant, tantùm terroris circumferebant, vt eos armis aggredi perculſæ gentes non auderent, ſed paſſim in latebras [b] diffugerent. Memorabile illud & ad bellicæ laudis gloriam inſigne factum celebratur; exiguas Francorum copias ipſo gentis initio, cùm eas Probus imperator in Pontum captiuas abduxiſſet, nauibus aliquot interceptis, Græciam Aſiamque populatas, & pleriſque Lybiæ littoribus appulſas, ipſas poſtremò naualibus quondam nobiles Syracuſas cepiſſe, & immenſo itinere permenſas, Oceanum, quà mediis influit terris, intrauiſſe: inde Africam ſubiiſſe. vnde tandem pulſæ, abductis Carthagine, quam vrbem caſtris poſitis terruerant, copijs, nihilominus domum rediêre, non modò nullum paſſæ detrimentum, ſed ſpoliis tot gentium auctæ. Illa nimirum incredibilis audacia, digna felicitas, & ſtupenda paucorũ fiducia, tam proſpero furtiuæ expeditionis euentu, argumento fuit, *nihil eſſe clauſum Francicæ virtuti, quò nauigijs pateret acceſſus: naturamque fortibus c viris terræ omnes aperuiſſe.* Inceſſit haud dubiè cupido repetendæ Galliæ, ſed Probi Imp. authoritate, tot bellorum felicitate, ac tanti denique Principis metu in præſens coërciti, ab conſilio deſtitere. nec eo breui ab ſuis crudeliter apud Sirmium cæſo id auſi ſunt. quippe Carus Imperator, quem multi Narbonæ natum tradunt, Carinum filium ad coercendos Transrhenanorum impetus,

Seneca.

Carus Imp. A. C. 284.

quibus continenti propè bello Galliæ appetebantur, cum validissimis copiis præmiserat.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Gallia sub Diocletiano & Maximiano.

NEc multò post Val. Diocletianus, cui postea Iouij cognomentum accessit, cæso Apro Druidæ cuiusdam (quæ tum demum fore imperatorem prædixerat, cùm aprum interfecisset) Oraculo fidem facturus, consensu militum singulari (quippe is gregarius primùm miles, ex tenui ortus familiâ, virtutibus bellicis nomen & famam meruerat) imperium adeptus est. Verùm obstabat Carini Galliarum ope subnixi potentia, Imperatoris filius, multâ iam militiâ inter gentes bellicosissimas exercitatus, collectis ingentibus copijs non expectauit, sed occupauit hostem: ducto cò exercitu vbi æmulum offenderet. Certatum est in Mysia iuxta Murgum vtrinque acriter, sed Gallorum virtute victor Carinus euasit, à quibus tamen quòd coniugibus eorum stuprum vi inferre consueuisset, dùm victum hostem auidè premeret, obtruncatus est; adeò acres Galli in vlciscendis vitiis quæ contra fas ac pudorem sunt, extitere, *Quibus scilicet à naturâ insitum est, luxuriosos Principes ferre non posse.* Veriti insuper ne assuetum libidinibus Carini ingenium, magis magisque victoriâ insolesceret. Quæ vbi cædes in Gallijs est nunciata, Heliani Amandique ductu excita agrestium, (Bagaudas vocabant) manus, omnem regionem continuis direptionibus populatur. nonnullæ etiam clarissimæ vrbes eâ rusticâ inolentiâ & fœdâ grassatione excisæ sunt. tum promiscuè velut aperta licentiæ ianuâ, militares habitus ignari e agricolæ appetiuerunt: quippe anea intolerandis Carini Cæsaris iniurijs irritati, Galliam omnem ferro ignique vexauerant. Ea res Diocletianum mouit vt Maximianum, (cui

Diocl. & Maxim. Imp. A. C. 286.

Aur. Vict.

Treb. Poll. in Gallieno. Mamert. Paneg. Salui an l. 5. de prouid.

postea â numinis cultu Herculio nomen fuit) in Cæsarem ascitum, amicitiâ præcipuum sibi, ac militiâ strenuum ad eos tumultus coercendos præmitteret. Nec tamen acie decertare ausus; sed insidiatus temporibus, opportunis locis ac leuibus præliis adeò fatigauit, vt breui incondita multitudo à nullis astricta sacramento diffluxerit.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Franci sub Diocletiano & Maximiano.

Diocl. & Maxim. Imp. Eutr. l. 9. Aur. Vict. Mamert. Paneg. A. C. 288.

SIc quietâ Galliâ, omnis bellorum materies sublata videbatur, cùm ora maritima ab Rheni accolis, (Francos fuisse nonnulli & Saxones asserunt) latrocinij more infestatur. Huic bello conficiendo præfectus Carausius, promptissimo ingenio Dux inter Menapios, prædones suis partim nauibus, partim prædâ diu factâ spoliauit. Iussus in ærarium referre, aut prouincialibus res ereptas reddere, Herculio illusit, Britanniamque sumptis imperij insignibus annos septem tenuit, donec ab Alecto quodam cæderetur. quo ferè tempore eidem Maximiano cum nobilissimis Francorum se Genobon [a] Rex apud Treueros dedidisse fertur. Hæc cùm in Occidente gererentur, magnæ Orientem turbæ conuellunt: vt in Cæsarum familiam, Constantium & Galerium inducere imperatores cogerentur. Nouis imperij consortibus, sua etiam iura imperiaque data. Relictus in Occidente Constantius, Dux tantis haud dubiè rebus quas gessit maximas, superiorib. Francos Carausio & Alecto adhærentes ob implacabile in Romanos odium, ad Rheni ripam profligatos vltra [b] summouit: tum incredibili celeritate vsus, Gesoriacum, censibus mutisque peruicacem ciuitatem cepit; cùm priùs omnem sinum illum portus quem statis vicibus æstus alternis, defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis inuium nauibus reddidisset: eo ferè modo, quo superioribus annis [c] LVDOVICVS XIII. RVPELLAM in

A. C. 291.

A. C. 293.

Santonum portu feliciter expugnauit. His in continenti gestis, Classe victus in Britanniam, vbi Alectus fortunarum suarum spes vltimas collocauerat, apud Londinum Regionis caput Francos Angloſque vastâ vtriusque gentis strage cecîdit. tandemque interempto Asclepiodoti Prætorio Præfecti operâ Alecto, decimo quàm à Rebellibus occupata fuerat anno, insula recepta est: ac ne vlla turbandi imperij materies Barbaris relinqueretur, traducti in continentem Britanni: vt quicquid infrequens Ambiano & Bellouaco, Tricassino Lingonicoque restabat, vario cultore reuiresceret: ac imprimis clarissima tunc Æduorum ciuitas ex hac Britannicæ facultate victoriæ, plurimos, quibus illæ prouinciæ redundabant accepit artifices; vt ea tum veterum extructione domorum, tum operum publicorum refectione, ac templorum denique instauratione nobilior magis ac magis consurgeret.

Dioel. & Maxim. Imp. A. C. 298. Panegyr. Constans.

Acrius interim ea bellorum vis tempestasque vrgebat à Germanis, qui turbato vndique imperio, Galliam multò maioribus quàm antea copiis ingressi, potiundæ terrarum longè optimæ spem maximam conceperant. Eò Constantius magnis itineribus aduolauit. Primo belli impetu circa Lingonas penè oppressus à Barbaris fuit: eóque ventum est rerum, vt funibus per murum tolleretur, cùm repente Germani irruentes, vrbem penè victores subiissent: Sed aduentante mox exercitu, progressus in hostem, feroces animos & rerum nuper gestarum felicitate elatos compescuit.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Diocletiani impietas.

PAri fortunâ alia imperij bella ab diuersis exercitibus confecta sunt: Partho vltra Tigrim redacto, Daciâ restitutâ, porrectis vsque ad Danu-

Diocl. & Maxim. Imp. Panegy. Max. dict.

bij caput Germaniæ Rhætiæque limitibus, Batauiç Britanniæque vindicatâ rebellione, recepto denique virtute imperantium orbe terrarũ penè toto, vigebat florebatque, si potest vlla esse impietatis felicitas, imperium. Sed non his quietis temporibus, quies indicta Christianis ab sæuissimis imperatorum. Nusquam aut magis aut frequentiùs aut immaniùs sæuitum accepimus in Pios: quæ illis, malum, res aut ratio, a *tantum potuit suadere malorum*? Toto imperio Romanorum, laniati, vsti, secti, fixi Christiani. Nec vlla prope ciuitas aut locus, non exhibuit cruentissimæ lanienæ speciem: quanquã Constantij humanitas vltra Alpes grassari malum, quà potuit licuitque vetuerit. Non singulorum cædibus Tyrannorum impietas bacchabatur: xx. piorũ millia vno incendio in Phrygiâ, Thebanorum sex millia Mauricio Duce in Alpinis Regionibus apud Sedunum ferro periere. Christianorum nomen, si Deo placet, extinxissent immanissimi Carnifices, nî abdicato Imperio Diocletianus & Maximianus, hic ægrè, ille sponte, magno orbis vterque commodo, in priuatam vitam concessissent. Experiendo nempe Tiberianum illud didicerant, *quàm arduum*, b *quàm fortunæ subiectum regendi cuncta onus*; c *quanta moles molestiaque imperio inesset.*

Euseb. in vit. Const.

Tac. l. 1. an.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Gallia sub Galerio & Constantio.

Galerius & Constãtius Imp. A. C. 306.

Diuiso inter duos imperio: Illyricum, Asiam, Orientem totum Galerius; Italiam, Galliam, Hispaniam Africamque Constantius, obtinuere. Sed huius tantus in Gallos affectus fuit, tantaque moderatio potentiæ, vt Italiam, Africamque Collegæ vltrò relinqueret. Vir tam expers ambitionis, quàm præstantissimæ ciuilitatis plenus; cùm vnis prouincialium suorũ commodis a studeret, quippe qui identidem dictitaret, *longè melius pu-*

blicas opes d [b] priuatis haberi, quàm intra vnum clauſtrum reſeruari : nunquam profectò excellior principatus, quàm cùm ſe publico [c] ſummittit officio. Itaque Gallis non amabilis modò, ſed venerabilis fuit, ac tantò gratior, [d] quò nuper ferociores Principes extitiſſent. in Britanniam traiecit, ac paulò poſt ſingulari omnium deſiderio, Eboraci, quæ vrbs inſulæ clariſſima eſt, hominem exuit: ac ſe gerendo minimè eſt mirandum, ſi & vita eius ſecura, & mors acerba fuerit. Cæterum Belli aut Pacis artibus maior extiterit Conſtantius, dubium: nam celebres olim Auguſtodunenſium ſcholas, incredibili erga iuuentutem Galliarum ſtudio reſtaurauit: hiſque Eumenium Rhetorem clariſſimum præfecit.

Eum. l. 10 Nazar. Paneg.

Eumen. pro reſt. Sch.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Vindicata Chriſtianorum Religio.

CLariſſimum inde orbi terrarum illuxit Conſtantini Magni ſidus : quo Imperium Romanum & Chriſtianorum imprimis pietas, tot nuper cruciatibus quaſi extincta clariùs coruſcaret. huius ortu [a] reducta ab exilio fides religioque, ſuperſtitio exulauit viciſſim ; aris ſanctitas, templis honos, Chriſto cultus exhibitus: Deorum impuriſſima fana, Dæmonum horrenda ſacrificia, idolorum ſeruitus euanuit, quantùm ab impijs Principibus cladis ac contumeliæ inflictum fuerat ; tantùm ab piiſſimo imperatore decoris, incrementi ac ſplendoris, vera [b] religio accepit. Talem profectò eſſe oportuit quem oppreſſa gentilium tormentis ac furoribus fides, & tandem exoratum terris numen tradidiſſet.

Conſtantinus Magnus Imp.

Verum tot gentium ac populorum ſcriptis, literis, linguis, vocibus, libris, celebrata tanti imperatoris pietas, non tenuiſſimi operis ſtylo committi debet : inſtar voluminum exigit tanta virtus : & iam ad formam ſuſcepti laboris tacitè me reuocari ſentio.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Romani Imperij sub Constantino Magno turbæ.

Constãtinus Magnus Imp. Euseb l. 9. Zon. t. 2. Oros. l. 7

MAximinum & Seuerum, moxque Licinium Galerius; Maxentium Prætoriani, Cæsares creant. Citò Seuerus à Maxentio Maximiani, qui nuper cum Diocletiano purpuram inuitus exuerat, filio victus cæsusque est. Maxentius à Constantino in Romanæ ciuitatis [a] conspectu ad pontem Miluium, quò vinceret gloriosiùs, producto in acie Labaro; in quo, scripta hæc Græcis literis sententia legebatur, ΕΝ ΤΟΥΤΩΝΙΚΑ profligatus est, & in Tyberim cùm fugeret mersus; cùm antea Galerium atrocissimus morbus in vindictam tot scelerum, effusique sanguinis Christiani pœnam, vinis rapuisset, acutissimis doloribus, putrescentibus fœdè genitalibus diu meritò tortum. Ante hæc tempora cùm in Galliis ageret Constantinus, bellum gessit difficillimum in Francos, quorum immunerabilis copia violatâ pace nuper cum Constantio initâ, in eam se regionem effuderat. hos ita vix [b] sumptis imperii insignibus adortus est feliciter, vt captis eorum Regibus Ascarico & Radagiso, mox post Triumphi pompam excæcatis: ac tandem Ethnico more (nondum enim Gentilium barbariem exuerat,) ad feras damnatis, spem omnem ac redeundi fiduciam abstulisse cæteris crederetur. Cæsi innumerabiles, capti plurimi, vici omnes igne consumpti sunt, non ætati parcitum est: Puberes ad pœnas spectaculò dati, sæuientes bestias multitudine suâ fatigarunt. Nec spreuit tamen gentem adeò illam, vt non aliquot cohortes quæ vltro eius imperium acceperant suis legionibus adiunxerit: quæ mox egregiam imperatori clarissimo operam in Maxentium Liciniumque nauauere Bonisio Vrsicinioque Ducibus clarissimis.

Eutrop. l. 10 Panegyr. Const. Marc. l. 15.

Maximinum Liciniumque inuidia, cui faces suggerebant, *innata potentibus viris ambitio, & commune nobilitatis malum superbia*, in Oriente commiserat; sed cæso breui apud Tarsum altero, oppressoque apud Massiliam Maximiano, quem ad spem resumendi postliminiò imperij Maxentij filij e fortuna erexerat; duobus Principibus adfinitate quidem iunctis, sed vitâ ac d moribus differẽtibus, orbis vniuersus subesse non potuit, vtroque simul totius orbis principatum affectante. Licinium primò in Pannoniâ, secundò apud Cybalas, postremò Nauali ac terrestri prælio victum, Thessalonicæ, vt sublato æmulo, belli omnis materies tolleretur, habuit in vinculis: mox cùm Barbaros in Constantinum sollicitare diceretur, eius iussu laqueo in collum inserto extinctus est, cum Liciniano filio qui nuper in Cæsarem ascitus fuerat cum Crispo Constantini.

Constãtinus Magnus imp. Sall. Iug. A. C.

Socr.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

Franci sub Constantino Magno.

FInitis eo modo bellis Romanorum ciuilibus, respubl. diuersorum Principum factionibus ac dissidiis diu iactata vnius a imperio arbitrioque regi feliciter cœpit. Gothi & Sarmatarum aliquot gentes orbis orium suis excursionibus conantur excutere: sed his vno aut altero prælio prostratis, quies iterum summa: impositis huic genti vectigalibus, quæ Romani nuper pensitare consueuerant, profligati etiam à Crispo quem Constantino Patre genitum ferè omnes, quidam Sororis filium faciunt; cæterùm egregio imprimis iuuene in Gallia Germani, ac pari sorte Franci trans Rhenum electi, qui Clodomero siue Theodemero Duce improsperâ excursione Galliam tentauerant. Sic foris fœlix, ac bello potens, b domi priuatis in rebus cum fortunâ luctatus, partam in publico gloriam mirum quantùm domi labefa-

Eutrop. l. 10.

Zon. l. 3.

Constãtinus Magnus Imp.

dauit Constantinus ; Crispo primùm , mox vxore Faustâ, veriùs Infaustam dixeris, quæ se & insignem priuignum perditum iit Phœdrâ impotentior, pòst numerosis amicis furioso animi impetu , si tanta barbaries in tantum imperatorem cadere potuit, interfectis ; breui tamen restitutâ meliori mente, compositis imperij ac Religionis rebus , permissâ Pont. Maximo Româ, translatâ in Thraciam imperij sede, Byzantium [c] ab Seuero imperatore excisum restaurauit : tanto studio , vt Romæ æmula ciuitas , sedes Orientalis imperij esset , & ab Conditoris memoriâ CONSTANTINOPOLIS diceretur.

A. C. 335.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

Diuisio imperij Romani.

HOc facto Romani terrarum hactenus victores ac domini , post sedem imperij ex vrbe remotam, quantum libertatis adepti sunt, tantum pristinæ dignitatis amiserunt ; capti, direpti , incensi , vel odio sequentium mox imperatorum, vel ignauiâ ac supinâ Præfectorum Italiæ negligentia , opes infirmiores & spiritus humiliores nacti sunt , quanquam in tantis detrimentis , vnâ ipsius latè ecclesiis omnibus imperantis Pontificis sede , a veterem splendorem nominis tuerentur : ac minus videretur quod bellicus labor subdiderat, quam quod subiecerat pax Christiana.

Sigon. l. 1. Reg. Ital.

Quis verò hic rerum humanarum incertas vices non doleat ? quis non stupeat , à tam pio Imperatore eam vrbem restauratam & appellatam, quæ tantæ aliquando impietatis caput esset , & Barbarorum Principum sedes ? nimirum ea labes inusta Christiano nomini fuit in vindictam scelerum : & Religioni erepta est imperij pars pene optima, ac prima velut hæreditas , [b] vbi primùm à maiorum pietate recessimus. Sed ad institutum reuertamur.

Diuiso tribus liberis imperio , iuxtà Nicome-

diam cùm de coercendis Parthis qui in Mesopotamiam irruperant, cogitaret; excessit è viuis Constantinus anno imperij xxxij. cùm paulò ante inusitatæ magnitudinis stella fulsisset. Religionem Christianam imprimis auxit: nec vlli rei intentior visus est, quàm quæ pietatis partes promoueret, vt plùs apud illum Principem iura pietatis, quam omnes opes valerent. Nec verò sine diuino quodam consilio factum putem, vt recedentibus in Orientem imperatoribus, Romani Pontifices finitimas prouincias suæ ditioni aliis aliisque temporibus Francorum beneficio annecterent: cùm cæteri passim populi ac Principes ruentis in Occidente imperij reliquias quasi è naufragio colligerent: & quæ orbis quondam Regina extiterat armis ac viribus, eadem suum decus potiori Religionis iure Roma nullius addicta imperio retineret. *Constantinus Magnus Imp. Aur. Vict.*

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo; quicquid non possidet armis,
Religione tenet. *Prosper Aquit.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Gallia sub Constantino, Constanti & Constantio Magni Constantini liberis.

VIx condito Parente latiùs imperandi cupido fratres in mutuam armauit perniciem. Constantinus transgressus Alpes cum ingenti exercitu, Constantem fratrem armis aggreditur: sed cùm apud Aquileiam prælium init inconsultiùs, ab hostibus interfectus est vix expleto triennio, ita respublica ad duos redacta est, Constantio Oriens cessit. quo tempore grauis in Constantem fit coniuratio, authore factionis Magnentio Comite. is è Francorum gente ortus, atque illis potissimum parentibus, qui Gallias inhabitabant, Constantem Gallis intolerabilem quod tributis onerarentur, militibus ingratum, inter *Socr. l. 2. Eutr. l. 10. Aurel. vict. Sozom. l. 3. & 4. Zon. A. C. 340.*

conuiuandum Augustoduni reddidit : mox imperio ita exuit, vt in Hispaniam fugâ se propipere cogeretur, vbi in castris Helenæ ad Pyrenæos occisus est; cùm annos ferè xiij. in imperio posuisset. Tum compressis Francorum aliquot tumultibus, Nepotianus in Italia, in Pannonia Veteranio, hic militum, ille gladiatorum factione in imperium assumuntur : Nepotianum Magnentius per Marcellinum Ducem egregium profligat cæditque: alterum ad suas partes tractum ingentibus promissis nouo inusitatoque more consensu militum, purpurâ spoliauit Constantius : qui ascito in Cæsarem Gallo Patrueli suo, & Constantinæ sororis nuptiis allecto, ne quid in se moliretur, relicto in Oriente Liciniano, ad fraternæ necis vltionem, opprimendumque Magnentium aduolauit, pugnatum est tantâ partium pertinaciâ apud Mursam in finibus Pannoniæ, vt eâ dimicatione in sereniſſimâ noctem per tractâ imperij Romani vires consumptæ ac exhaustæ penitus, Barbaris occasionem diripiendi mox imperij præbuerint.

A C. 350. *Cõstantius Imp.* *A C.* 352.

Profligatis Magnentiũs in Italiam primùm, inde Galliam cui Decentius frater, quem Cæsarem creauerat, præerat, fugit : sed cùm victoris fortunam Galli sequerentur, desperatis vnâ acie rebus, vitæ vim suæ apud Lugdunum attulit; fratre quoque ad similem vitæ exitum compulso. Sic ad vnum rediit imperatorem res iterum Romana: nec difficulter tot victor hostium, ciuilibus bellis extinctis, Germanos in Galliam suo more effusos coercuit : verùm dimissis copiis, ferox gens & potiundæ regionis dudum auida, Gallias populatur : easque haud dubiè inuasisset, ni strenua Syluani Francorum Ducis virtus compressisset impetum. Hic Bonitii, (eius qui sub Constantino Magno in Licinium meruerat) filius, per militares gradu; viâ virtutis eò ascenderat, vt ab Constantio quanquam amaretur, timeretur magis: accusatus ab inuidis, quorum princeps Apodemius fuit, apud imperatorem, quod res nouas moliretur in Galliis, haud ignarus quantùm sibi exitij ab Principe, quanuis hæc falsò fingeretur, impenderet;

Zozim. *A. C.* 353. *A. C.* 354. *Amb. Marc. l. 15.* *A. C.* 355.

vti in rebus asperis & tenui c spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt; non promptius salutis expediendæ d consilium habuit, quàm annitente Malaricho, aliisque Francorum præcipuis Ducibus, imperij insignia illicò assumeret. Ea res Mediolanum delata, tantam attulit Constantio animi consternationem, vt ictum fulmine, adeò mens hominem stupentem deseruerat; credidisses. Interim Vrsicini aliorumque vsus consilio imperator, cùm arte e non marte cum Syluano pugnandum esse censuisset; vocatus ad colloquium Francus, corruptis ingenti pecuniâ iis, à quibus præsidium sperauerat legionibus, ante diem sumpti Coloniæ imperij tricesimum, extractus ædiculâ Christianorum, quò vilis armatis confugerat, perfidiosè trucidatus est.

Liu. l. 25. Cõstantius Imp.

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Franci sub Constantio.

HVius casu Francorum virtus repressa paululum subsedit, vt breui velut sumpto a spiritu altiùs assurgeret; tandemque vt rebus humanis orbem esse intelligas, prolabente imperio Romanorum, imperium componeret. Iamque noui principatus antelucana prælucebant, Francis ipsis, Germanis, Saxonibus, aliisque gentibus Gallorum fines infestantibus. Post interitum Rebellium, quos ad hæc tentanda quæ mouerunt, rabies egit & furor, velut impiis eorum manibus Romano sanguine parentantes, insultarunt ferociùs barbari, Galliasque ruptâ limitum pace, ingressi atrociùs quam anteà populantur. His territus Constantius, veritusque ne ea imperij pars nobilissima ab imperio auulsa recederet; Claudium Iulianum, Galli nuper à se interfecti fratrem, patruelem suum Cæsarem creatum Galliis præficit. is quod *proprium est prudentiæ* b *conciliare sibi animos hominum, & ad vsus suos adiungere*, pertractis ad

Am. Marc. ibid.

Cic. 2. offic.

partes Romanorum Francis, repressisque Galliarum quatenus ferri fierique potuit tributis, tantam sui famam excitauit, vt ad eius castra nobilissimi quique Gallorum eâ illecti humanitate conuolarent. fusos etiam nuper in campis Argentoratensibus Germanos, secundo prælio adeò e profligauit: vt captis aliquot eorum Regulis Chonodomaro & Bodomario, flueret hostium cruor amnium modo, aceruique ingentium cadauerum, montium similes late surgerent, quo tractu temporis Vrsicinus Francus Illyrium ab Quadis & Sarmatis vindicauit.

A. C. 356.

A. C. 357.

A. C. 358.

CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM.

Franci sub Iuliano Apostata.

Iulianus Imp.

HIs fere temporibus à Gallicanis legionibus Iulianus Augustus salutatur, eò promptiùs & alacriùs, quòd Germanorum (vt prædiximus) & Francorum, qui arces quò se reciperent, extruxerant, metu grauissimo & anxiâ solicitudine, Gallias feliciter liberasset. Franci enim Coloniam Agrippinam Romanorum seruitute oppressam, longâ obsidione deditionem facere coegerant: magnoque se latè furore iactasset ea gens, si fiduciam, quâ patebat, peruagandi habuisset. Sed itum obuiam furentibus: nam singulari animi sagacitate ac diligentiâ vsus Iulianus, quod in arduis expeditionibus fieri suadet necessitas, frumento ad diuturnitatem a vsus excocto, Buccellatoque, vt vulgò appellant, humeris libentium militum imposito, secundis vt ante auspiciis profectus, Francos eos videlicet quos Salios consuetudo appellauit, olim in Romano solo apud Toxandriam, id est, Brabantiam sedem sibi figere prælicenter, petit; inde Chamauos similia ausos adortus est: ac tandem Alemannos Regum suorum ferociâ immaniter tumentes, & rapinis ditescere assuetos

Amm. Marc. l. 12. & 20. Pont. l. 2. c. & 8.

Veg. lib. 1. c. 19.

redegit in ordinem. Peruasit etiam Francorum, Ansuarios vocant, licentius Galliarum extima perscrutantium regionem, quos securos ac nihil hostile metuentes cæsis, captisque plurimis oppressit. Fecerat etiam integritatis ac principis optimi fidem Iulianus, vocato in ius Numerio Galliæ Narbonensis Prætore, quem infinitis direptionibus populares suos vexauisse fama constans euulgabat. Incitatus tandem suorum studiis, & Galliarum imprimis legionibus opibusque ferox ac potens, in Constantium erupturus erat, quippe qui imperium vnius regi spiritu oportere censeret, cùm eo in radicibus montis Tauri apud Mopsocrenem viuis erepto, destitit ab incæpto. Itaque rerum potitus, vt erat gloriæ cupidissimus, in Persas proficiscitur. Nec dubia erat Romanorum ex hostibus victoria, ni à Piis descisceus, eiuratâ proiectâque Christianorum fide b ac religione, cœlestes iras in se ac suos tanto facinore vertisset. Itaque cùm audacius quàm imperatorem decet, *cui nimirum salus propria cùm semper ad c securitatem omnium, tum maxime in bello est conseruanda*, suorum ordines ad prælium restauraudum nititur componere, missâ incerto authore, diuinitus creditum est, directâ sagittâ vulneratus lethaliter, expertus est, *nullas d esse aduersus Deum hominum vires*. Ferunt sauciũ Iulianũ lymphatico similem, quem puderet tam turpiter mori, stillanti è vulnere cruore manum impleuisse, proiectoque ferociter, in hæc verba erupisse, *Vicisti Galilæe, satia te sanguine quem sitisti Nazarene*. In hoc Constantini Magni soboles extincta est, cùm pridem virtus obsoleuisset: tantúmque cladis illatum est imperio à Barbaris, quantùm ab eius pietate Iulianus cognomento Apostata recessérat.

Iulianus Imp.

A. C. 360.

Socr. l. 3.

Sozom. l 5 & 6.

Fustin. lib. 2.

CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Franci sub Iouiano & Valentiniano.

IVliano in eum modum extincto Iouianus Pannonicus præclaris initiis rerum summæ admouetur; non suscepto priùs imperio, quàm Duces ac milites Christianos se fore profiterentur. Sed eo felix, non perinde alia feliciter est assequutus. Nam turpissimo pacto ab Persis pacem redimere coactus est, ac statim septimo imperij mense adepto quàm gesto imperio clarior, Constantinopoli extinguitur. tum, ferociùs quàm antea Barbari imperij fines irrumpunt: præcipuus Germanorum in Gallias impetus. Valentinianus Cæsar, missio in Orientem Valente, primâ armorum impressione cum barbaris improsperè, alterâ tam feliciter rem gressit, vt ingens hostium multitudo cæderetur, horum reliquiæ ab rege gentis Bagalitrando collectæ, post aliquot vrbium vastationes sparsæ ac palantes, à Romanis & Gallis profligatæ sunt.

Iouianus Imp.

Valentinianus Imp.

Vigebant rerum gestarum gloriâ Franci, prostratis nuper ad Rheni Ripam propè Mogunciacum cum Macriano Rege Alemannis, quod is Francorum fines vastare tentasset. Nam interceptus Mellobaudis bellicosi Regis insidiis oppetiit: ab his cùm tributa aliarum more gentium exigeret Valentinianus, inuictæ virtutis testem, & gentili dignum libertate vocem excepit: námque illi ferociter recusare; liberos se ac seruitutis expertes palam profiteri occipiunt. Miratus gentis fiduciam imperator libertati reliquit. Quis hîc ferat absurdam, ne quid asperius dicam, ineptamque eorum opinionem, qui Francos à libertate & ferocitate tum inuenisse nomen, quòd Valentiniani Imp. stipendiarij esse haberique noluerint: cùm centum & amplius retrò annis clarissima eorum mentio sub Gallieno nimirum imperatore vsurpata sit? quanquam (si verum fateor) non negem

Am. Marc. l. 30.

inde fluxisse Francorum nomen, quod è finibus emergentes suis, nulli præterquam populatium suorum imperio addicti, immunes ac tributorum expertes omnium, [b] libertatem, quæ veteri Theutonum linguam *Freyghum* & *Francken* dicitur, in Romanos strenuè asserierent; quos insigni victoriâ vbi primùm innotescere incœperunt, prostrauere: adductis deinde in suas partes innumeris, quos idem libertatis amor pertrahebat. Nec enim tacite Tacitus ille meus scriptor vndequaque diuinus, Caninefatum nomine Francos notat: *Clara ea victoria in præsens, in posterum sui: armaque & naues quibus indigebant adepti magnâ per Germanias Galliasque fama libertatis authores celebrabantur,* adeo vt turbato dudum imperio, à Francis otium Romani mercarentur. Cuius rei, vt & istorum ferè temporum testem hîc proferre non pigebit pudebitque, vbi de Francis,

Illi terribiles quibus otia vendere semper
Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci.

Valentiniano.

Imp. Auent. l. 4. Hottom. cap. 5. Francogall. Tac. hist. 4.

CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Imperium à Barbaris lacerratum sub Valente & Gratiano.

SEd iam abruptum rerum ordinem retexamus. Hoc ferè tractu temporis, Burgundiones haud certioris originis quàm cæteri qui hoc sæculo innotuerunt, populi; nam à Burgis ad Rhenum ædificatis dictos ferunt à Scythis aut Gothis, Sueuis, Thuringis, aliisque profecti, in Germanos à Romanis primum asciti, inde ob metum potentiæ à Valentiniano Imp. re infectâ remissi, redeundi mox consilium iniere, illecti scilicet eius regionis quam gustauerant vbertate. Sic prolabente sensim imperio, [a] nouæ se velut Coloniæ accingebant comparabantque; vt facto agmine hinc inde vbicumque sors vellet ac suaderet, incumberent. Hunni vltra Mæotidem posita gens,

Valens Imp.

Valens Imp. fusis Alanis ac Gothis, torrentis instar cuncta passim disturbantis, graue damnum imperio Romano aduexere. Gothi Pannoniâ, Thraciâ aliisque regionibus vi occupatis Valentem imperatorem Arianum atrocissimo prælio profligant: ac leuis illa forsan clades extitisset, nî miserabili imperatoris casu foret, excepta, in casâ pastoritiâ supposito à Barbaris igni XIV. Imperij anno viuus exuritur, dignâ impio Principe pœnâ. Gratianus interim Valentiniani filius res feliciter gerebat in Germanos: Nam apud Argentoratum XXX. hostium millia fatali loco cecîdit, Galliasque vel tum pacauit interfecto in acie Priario Rege tot turbarum concitore.

Gratianus Imp. *Socrat. l. 5.* *Sozom. l. 7.* *Am. Mar.* *Zon.*

Sed cùm materies vndique nouis bellis ac tumultibus in disiunctissimis imperij partibus excitis pullularet, quanquam integris familiæ rebus, & Valentiniano II. fratre, quem nuper imperij consortem asciuerat, fretus; tamen cùm extremum periculum ab Gothis superiori victoriâ [b] elatis, adiunctis secum Hunnis, Alanisque instare nomini Romano intelligeret: accito ex Hispania Theodosio Duci per omnia maximo; quippe qui tanto indigeret adiutore, [c] imperium commisit. Nec mora probandæ virtutis occasionem barbari trans Istrum præbuere: quibus exigendis cum egregius imperator laboraret, submissæ sunt à Gratiano Gallicanæ legiones, Baudone & Arbogaste Ducibus Frãcis: tum illi facilè profligati sunt.

A. C. 380.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

Franci sub Theodosio Magno.

Theodosius Imp. *Vell. l. 2.*

QVo tempore Maximus Hispanus, vt *Assidua est eminentis fortunæ comes inuidia, altissimisque adhæret*, Theodosij gloriæ supra omnem modum hostis, in Britanniâ Tyrannidem arripuit: in Galliam quâ Rhenus Oceanum subit transmissus, ab infensis Gratiano legionibus exce-

ptus est, Gratianumque in fugâ Lugduni deprehensum extinxit, & Valentinianum Augustum Italiâ expulit. hoc facto cœtu piorũ & sacris ab Ambrosio Mediolanẽsiũ Episcopo interdicitur Maximus. *Theodosius Impe*

Nec prætereundum, Britannos Maximi in tuendâ Tyrannide adiutorẽs, Gonano Duce eam Galliæ partem, quam olim Armoricam quòd ad mare vergeret, nunc minorem Britanniam appellamus, insedisse. Quo etiam temporum tractu, insignis vndecim Puellarum millium Colonia celebratur. Hæ Maximi Tyranni iussu, ex Britanniâ in Armoricam ad sobolem propagandam nauigare compulsæ, vi atrocissimæ tempestatis, in eam Germaniæ inferioris oram, qua subit Oceanum Rhenus disiectæ, à Barbaris pro CHRISTI fide ac pudoris integritate, victimarum instar mactatæ, IESV CHRISTO immortali sponso, æternum adhæsêre. Harum Dux VRSVLA, eademque ad geminam Martyrij ac Virginitatis palmam hortatrix memoratur.

Maximus interim occupatis Galliis, Treuerorum Ciuitate pro imperatoriâ sede vsus, Theodosij primum amicitiam ambiuit; mox cum Valentinianum, vt dictum est, exegisset, odium immortale concitauit in se. Itaque victus acie captusque apud Aquileiam, & Theodosio redditus, eius iussu cum Victore filio quem intra infantiæ annos Augustum fecerat, necatus est. Restituto Valentiniano, peractâque Gratiani vltione, Theodosius in barbaros Macedoniæ fines infestantes victorem duxit exercitum. Tum Arbogastes Francus Tribunus militum, quorum fauore ingens, imperatori vltrò illudebat; ausus est insuper, vt *effractis semel officij repagulis crescit subditorum in Principe a insolentia petulantiaque, cùm obsequij fines transiluere*; Eugenium Rhetorem quidem eximium, cæterũ haud tanto b parẽ fastigio imperij insignibus induere, ipse c acturus imperium: mox fœdâ morte sublato apud Viennam Valentiniano, authoratâ hac cæde purpurâ, cum suo Principe festinantem ad tanti sceleris vindictam Theodosiũ occupare non dubitauit; primo belli conflictu felix, *A C. 388. Aur. vict. Oros. l. 7. c. 35.* *A C. 392.*

Theodosius Imp. erat enim Gallorum Francorumque viribus innixus, Theodosium profligauit: sed insigni rebellioni pœna aliquando debebatur: vt *plerumque hominum mentes nimia prosternit & felicitas*, contemptu hostis passim dispersi victores, deliciisque mersi, ab irruentibus subitò Theodosij copiis circumuenti opprimuntur. Eugenio in suis castris caput abscissum est, ludibrioque victoribus fuit facunda quidem, sed imperio indigna ceruix, tum prospexit sibi humanæ conscientiæ pauor: quippe hostilis exercitus paruâ suorum manu fusâ, cùm facile aciem reparare posset, ad victorem Theodosium vltro concessit. Arbogastes visâ suorum defectione animi impotens desperatis rebus suo se pugione traiecit. Ferunt eo in prælio visos imperatori depugnantes diuinitus missos; vt cui terrarum imperia debebantur, ei cœlum quoque ipsum militaret. Turbo etiam continuus ora pectoraque hostium ita cuerberabat, vt incedere, moueri in Theodosium, vibrare spicula nullo modo possent: aut si quæ intorserant; ea, mirum! excepta ventis, e in authores reflectebantur, hinc illa Poëtæ vox,

A. C. 394.

Oros. ibid.

Panegy. Theod.

Claudian. Greg.

Felix cui militat æther.
Et coniurati veniunt ad classica venti

Nec dissimili euentu fortunæ in Francos ad Rheni ostium pugnatum est, cùm nuper Theodemeres vir Consularis, Francorum Rex, quòd aliquid in Romanos molitus esset, capitis supplicium cum Ascila seu Hastilia matre subiisset. Hi Genobaldo Marcomiro & Sunnone Ducibus more suo in Galliarum fines excurrentes, à Nannieno & Quintino primum repressi sunt: sed cùm recedentes inconsultiùs insequitur Quintius magnâ clade à peritis regionum acceptâ, amissisque impedimentis redire cogitur.

Auent. lib. 1.

CAPVT

CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

Franci sub Honorio & Arcadio.

FRanci audito Theodosij apud Mediolanum excessu, maioribus auctı copiis animisque, dissidentibus inuicem imperatorum rectoribus Rufino Arcadij, Stilicone, Honorij; Gothis etiã aliisque turbatis alias diuisi imperij partes misere infestantibus, in Gallias irrumpunt ab VVandalis, Alanis, Burgundionibus fœdè vexatas. Stilicone Rufino, Gildone, Eutropio potentiæ æmulis confectis, fugatis etiam barbaris, in Francos (quorum pacem nuper auro veteri dudum more emercatus fuerat) conuersus, Marcomirum Sunnonemque prostrauit: Alterumque a in Thusciam captiuum abduxit. Sunno ab Popularibus suis seditione ortâ interfectus est immisso, vt credibile est à Stilicone percussore, ne Marcomiri indignam captiuitatem vindicaret; quanquam eò cæsum nonnulli putent, quòd in Marcomiri captiui libertatem asserẽdam se accingeret. Interim Arcadius relicto impubere filio Theodosio, eiusque curâ Isdegerdi Persarum Regi, diffisus nimirum Honorio fratri, commissâ, è rebus humanis eripitur. Ingratũ Honorio fratris factum: eumque eò mouẽtem Constantinus à Gallicanis legionibus imperator appellatus, VVandalis aliisque Barbaris Godegisilo Rege in Galliã effusis continuit. Missus igitur in Gallias cum numeroso exercitu Satus Constantinum acie fusum, Valentiæ mœnibus clausum obsessumque ad vltima compulisset, nî Ebodechi Franci, Geruncciique Angli Ducum aduentu opportuno, in Italiam relicto oppido remigrare magnis itineribus, amissis inter Alpinas gentes impedimentis coactus foret.

Honor. & Arcad. Imp. A. C. 397.

A. C. 407.

Constantinus liber, hoste exacto; Constantem filium è cœnobio retractum Cæsarem creat: ac breui Hispanias imperio adiungit: nec enim difficile erat rebelli, remotas regiones sibi asserere repugnante

A. C. 408.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Gothicum in Gallia regnum.

NEc diu tantæ cladi superfuit Alaricus, cuius successor Atulphus omissâ Italiâ, quippe quæ satis pœnarum Gothico furori dederat, Galliam Narbonensem omnemque Aquitaniam præter pactum incensâ à Burdegalâ occupauit. Inde pulsus, à Constantio in Hispania tandem consedit & VVisigothicum imperium instituit ipsius Honorij consensu, pauciſque annis interiectis, eam Galliæ partem, quam nuper Atulphus tenuerat, Segerico filio concessit: ac breui suorum coniuratione, quod ille ingratum Genti suę cum Romanis fœdus pepigisset, Barcinone per insidias interfectus est. Stetit demum in Gallia tandiu Gothicum imperium donec à Francis Regibus tolleretur. Iuadunt eo tempore Sequanorum terras Burgundiones: Sic Barbarorum vndique incursionibus proscissum Romanorum imperium a conuellebatur, aliis alios miseræ iam dominationis fines armis vindicantibus sibi.

Honor. & Arcad. Imp. A. C. 415.

A. C. 416.

CAPVT VLTIMVM.

Franci Galliarum partem occupant.

HOc igitur temporum tractu Gallia omnis à tribus populis occupata miserabilem in modum distrahebatur. Romani quicquid terrarum est à Rheno ad Ligerim exceptis aliquot Armoricis ciuitatibus, quarum aliquæ Magistratibus Romanis expulsis, constitutâque pro arbitrio Rep. vsurpatâ libertate defecerant, tenuere. Gothi trans Ligerim totam occupabant Aquitaniam. Burgundiones circa Rhodanũ ac superiorem Rhenum sedes fixerant, paucis aliquot ciuitatibus in fide Romanorum manentibus. Franci quanquã Rhenum sæpe traiecissent, in veteri tamen & primâ adhuc

Honor. & Arcad. Imp. A. C. 420. Tac. an. 20. hist. 4 Aul. Gell.

suâ Franciâ, solâ Galliarum depopulatione aucti continebantur. Sed puduit nobilem populum, tot Barbaris Gallias tanto à se studio diu petitas cedere. Igitur diuisi antea nominibus Franci, nam alij Salij, Anthuarij siue Ansiuarij, alij Ripuarij, seu Riparij, (noinnulli Sicambri passim vocabantur) vnum omnes Regem Pharamundum imposi- tum prisco gentis more scuto, sustinentium humeris vibratum eligunt & circumferunt: Galliarum intima sub tanti Regis felicibus auspiciis petituri. nihil tamen eo Rege in Romanum limitem moliti sunt, Pharamundo togæ & a pacis artibus incumbente; nam ab illis quas vocant Salicas legibus, b sanctissima Regni auspicia cœptauit. Leui tamen prælio cum aliquot oppidis, vt sequenti libro explicabimus, luctatus est.

EPILOGVS.

SED iam modus susceptæ operis parti imponendus est; perductâ rerum à Gallis gestarum ad Francos serie, colligendus est animus: nouo potissimum & maiori bellorum ordine velut renascente. Cuius gemini opusculi, si literariæ & Francicæ reipublicæ studiosos non pudeat; nec mẽ pœnitebit laboris & vigiliarum mearum, quibus iuuentuti nostræ vtilitatis, & homini Francico laudis aliquid attulero. tantõ mihi gratiùs ac honestiùs quod inter Scholarũ strepitus ac turbas, id quodcunque est, publico dederim. Eo me demùm voto Patriæ literisque astringo, quo grauissimum quondam virum vsum ferunt. Quantum vitæ mihi deinceps Dei voluntate erit, quantumque à curâ, procurandoque cultu adolescentium, in quo diu versatus sum, dabitur otium; ea omnia succisiua & subsecundaria tempora, ad colligendas huiusmodi memoriarum delectatiunculas conferam.

Finis primæ Patris Historiæ Gallo-Francicæ.

AVTHOR LECTORI.

Postremæ huic editioni, CANDIDE LECTOR, *breuissimas sententias, quibus historia nostræ gentis magis magisq; illustraretur, è Græcis Romanisque hortulis velut decerptos flores adiecimus. Atque illæ quidem non tam vice commentarij esse poterunt, quàm documento, nihil aut belli, aut pacis temporibus, domi forisque gestum à nostris, quod non illi optimarum quarumcumque rerum exemplorumque authores præcipui ante gesserint: adeout vna animi vis,*

vna eademque virtus, diuersissimarum gentium mentes, alijs alijsque temporibus ac locis impleuisse videatur. Sparsæ toto libro literulæ, rerum & sententiarum indices sunt ac notæ, suis locis capitibusque respondentes. His si lubet fruere.

FLOSCVLI
IN FLORVM GALLICVM
PRÆFATIO.

a τὴς μὲν προμήθια τὰ ἀδενὲς τῆς φύσεως αἰωρῶντα, τὰ δὲ τῆς ἰσορρίας ἐπεισήγαγε αἰωρὰ καὶ τὰς ἐνδεᾶ ἐλπίδας. Agath. lib. 1. Pag. 1.

b Μηδεμία ἑτοιμοτέρα ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσις, τῆς τῶν προγεγενημένων παραξέων ὑπομνήσεως. Polyb. lib. 1.

c Hoc præcipuè salubre ac frugiferum est, omnis te exempli documenta in illustri posita intueri. Lib. 1.

a Ἐχθρὸν δέ μοι ἔστιν αὖθις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν. Hom. Odyss. μ. Pag. 2.

a Quæ diducta ferre nequeas, his congregatis subire, spei importunioris est, quàm fiducia promptioris. Nazar. Paneg. Const. Pag. 5.

a Facundiâ Græci; gloriâ belli, Galli Romanos antecessere. Sallust. Catil.

b Ὅταν δὲ οἱ καὶ τὸ ἔθνος ὅλως ἐλευθερωτῶν ἡγεμονίας ἀξίωμα. ὅτως ἐδεδοίκεσαν ἀγκοῦ τὸν Κῆπτιν ἔσαν. Appian. de bell. Ciuili

c Galli virtute belli omnibus gentibus præferuntur; quippe per insaniam pugnant ad gloriam. Cæs. Pag. 4.

a Gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem (cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit) Alpium inuicta iuga & frigore intractabilia loca transcendit. Iustin.

a Mercurium colunt Galli, post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, Mineruam, se omnes ab Dite patre prognatos prædicant. Cæs. lib. 6.

b Attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione motis, cuius haudquaquam negligens est, Liuius lib. 5. Pag. 5.

a Οἱ Φράγγοι τὸν τῦ Διὸς δεδέχεσθαι νομίζουσι· Χειρίδωτοὶ γὰρ ἅπαντες ὄντες, καὶ τῇ ὀρθοτάτῃ χρώμενοι δόξῃ. Agath. lib. 1.

b Tantus terror Gallici nominis erat, vt etiam Reges non lacessiti, vltrò pacem ingenti pecunia mercarentur. Iustin. lib. 24.

Pag. 6. a Francorum Regnum à sui principio semper infatigatigabile, maximum autem accepit incrementum, & firmum sub eo sancta Dei Ecclesia statum. Nodgar. Leod. Episc. in vita S. Landoaldi.

a Gens Francorum inclyta, authore recondita, fortis in armis, firma pacis cœdere, profunda consilio, corpore nobilis & incolumis, candore & formâ egregia, nuper ad Catholicam fidem conuersa immunis ab Hæresi. Prolog. leg. Sal.

Pag. 7. a Pipinus Pius, primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit, exarchatum Rauennæ cum amplissimis ditionibus Summis Pont. dedit. inscrip. Rauen.

Pag. 8. a Magna negotia, magnis indigent adiutoribus. Vell. Paterc. lib. post.

Pag. 9. a Nullarum gentium post discerptum à Barbaris nationibus Romanum imperium, opes validiores, imperium illustrius laus belli maior fuit, quàm Francorum. Pontan. lib. 5. de orig. Franc.

Pag. 10 a Τὸ σύμπαν φῦλον ὃ νῦν Γερμανὸν καλοῦσιν, Ἀειμαχόντε καὶ θρασυκάρδιον ἐστι, καὶ τὰ πρὸς μάχην, Strab. lib. 4. παρὰ τοῖς μαχιμωτάτοις καὶ θρασυκαρδοτάτοις τῶν ἐθνῶν. Iulian. in Mitopogone.

b Te non pauentis funera Galliæ ---
Duræque tellus audit Ibericæ. Horat. lib. 4. Od.

a Quidam hostibus suis immortui, omnium in manibus ensis, & reiectæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira viuebat. Flor. lib. 1. cap. 17. Νῦν δ' ὀφθὲν τὸν μὲν ἔτι μέσους πολεμίους καὶ πυκνοὺς τοὺς ἄμα πύργους προφέρων καὶ πλοκὰς προβεβλημένους. Polyb. lib. 1.

Pag. 11 Obtrectant sibi inuicem artifices operum sordidorum: est inter aliquos etiam canoræ vocis inuidias nihilque tam vile, tam vulgare est, cuius participes, malignis æmulationis stimulis vacent. Mamert. Genethl. Maxim.

LIBER PRIMVS

CAPVT I.

GAlli rebus præclarè longè latéque gestis superbientes, se nobilitate & claritate reliquas Occidéris gentes longè antecedere putant. Chalcon. lib. 2. a

Exempla omnia iacerent in tenebris, nisi literatum lumen accederet. Cic. pro Arch. Poëta. b

Historia speculum humanæ vitæ, nullo vnquam temporis spatio est peritura. Xiphil in Commodo. c

Ratæ per ea tempora literæ fuere; vna custodia fidelis memoriæ rerum gestarum. Liuius lib. 6. d

Gallia duas res industriosissimè persequitur; rem militarem & argutissimè loqui. Charisius. e

Gallia viris semper fortissimis & eloquentissimis abundauit, D. Hieron. ad Vigil. f

Druides magnum numerum versuum ediscere dicuntur: neque fas esse existimant, ea literis mandare. Cæs. l. 6. de bel. Gall. g

Immensum gloria calcar habet. Ouid. h

Priscis temporibus summum certamen inter homines, ne quid profuturum sæculis diu lateret. Petron.

CAP. II.

Γαλάται πέντε καὶ τεσσαράκοντα πλήθυνοντες ἔθνεσι, ταῖς πηγαῖς ὡς δύ' τισὶ ὀπωρείαις ἔχοντες, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς χεδὸν ἁπᾶσιν ὀπλίσασιν τὴν οἰκουμένην. Ioseph. lib. 2. belli Iud. a

CAP. III.

Vt Galli appellatentur, non nisi serò vsus obtinuit: Celtos enim cùm ipsi se antiquitus, tum alij eos nominant. Pausan. Attic. a

Eos qui Narbonensem regionem colunt anteà Celtas nominabant, à quibus vniuersos Gallos à Græcis Celtas appellatos opinor, ob eorum claritatem. Strab. lib. 4. b

CAP. IV.

a Πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, ὡς νῦν ἔτι τὰ ἔθνη ὑπὸ βασιλευομένων· δῆλον γὰρ σωθῆναι. Arist. 1. Polit. c. 1.

b Omnes antiquæ gentes, Regibus primùm paruere. Cic. 3. de leg.

c Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Hom.

d Regnum res inter deos hominesque pulcherrima. Liuius lib. 26.

CAP. V.

a Equidem plura transcribo quàm credo: nam nec affirmare sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi. Curt. lib. 1. c. 1.

b Poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur; ea nec affirmare, nec refellere in animo est.

c Quà sibi vicinas Alemania suspicit Alpes, nomen ab Alpino ducens, vt fama, Lemanno. Gunth. Ligur.

d Tradunt multi eosdem Reges Francorum de Pannonia fuisse digressos, & primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse; dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeasse, ibique iuxta pagos vel ciuitates Reges crinitos super se creauisse de prima & vt ita dicam nobiliori horum familia, Greg. Turon. lib. 2. c. 9.

CAP. VI.

a Massiliam olim Phocenses ex Asia à Medis pulsi incoluerunt: Dario Hystaspis filio apud Persas regnante. Agath. lib. 1.

b Phocensium ædificium est Massilia petroso in loco sita: cui quidem portus subiacet, saxum videlicet in Theatri formam ad Austrum spectans, vrbs vniuersa pulcherrimis circumcincta mœnibus, magnitudine egregia. Strab. lib. 4. Hæc in profundum mare prominens & munitissimo accincta portu, in quem angusto aditu meridianus refluit sinus, mille quingentis passibus terræ cohæret; quà firmissimus aturribus frequens murus opponitur. Nazar. Panegy. Const.

Sed iuremus in hæc, simul imis saxa renatarint vadis leuata, nec redire sit nefas. Horat. epod. c

Natura ipsa magnis mentibus domicilia corporum digna meratur: & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi potest: quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator. Lumen. Paneg. Cpnstant. d

Πάντα ἀεὶ τὰ σεμνὰ κέκτηται φθόνον. Diony. & Stob. e

Ciuitatis illius disciplina atque grauitas, non solùm Græciæ, sed penè cunctis gentibus anteponenda. Cic. pro Flac. f

CAP. VII.

Solennes nationum migrationes quas μετοικίας appellant, consilio exonerandæ popularitatis in alios fines examina gentis eructant: nam & origines nunc in suis sedibus permanent, & alibi amplius gentilitatẽ suam fœnerauerunt. Tertull. de anima. a

